per se nihil habeat, quo quis offendatur, nisi quod illo tempore legionibus nomina quidem gentilicia imperatorum, nondum cognomina tribuere in usu fuerit, quamvis concedendum sit, exemplum utique simile primi saeculi afferri non posse, tamen fortasse admonere licet non solum legionis II Traianae, quae traxit nomen ab imperatore, qui eam condiderat, Traiano, sed etiam legionis I Macrianae liberatricis a. 821/68 a Clodio Macro in Africa constitutae (Cohen I² p. 317 n. 1 n. 2 p. 318 n. 8) et legionis VII Galbianae (cf. Boissev. p. 31—33) atque alae I Dardanorum Vespasianae (dipl. XX, XXII, XXXIV); denique etiam in memoriam revocare, colonias imperatoris cognomine, quo non nominis, quod iam habebant, sed cognominis instar uterentur, ornatas esse, ut Puteolos, quae appellatae sunt col. Claudia Augusta Neronensis Puteoli (IV 2152 X 5369). Quae si recte disputata sunt, cognomen „Domitianae" Domitiano post mortem damnato, cum non iam usurpari posset[1]), omissum esse, illud autem P. F. quod nihil, quo invidiam exciret, habebat, per saecula in usu perdurasse videtur.

Haec si vera sunt, quomodo ad exercitum inferiorem seditio Antonii Saturnini in Germania superiore orta pertinere potuerit, quaerentes complures rationes reperimus: nam cum omnia, quae per omnia saecula ad Rhenum ab altero exercitu gesta sunt, etiam alterum aliquomodo attigerunt, tum partes seditionis, si qua contra imperatorem mota erat in provincia superiore, continuo inferiori exercitui necessario aut arripiendas aut recusandas fuisse, luculentissime nos docet Tacitus Hist. I c. 55—58, quomodo Vitellius a. 823/69 imperator factus sit, enarrans. Aut igitur Antonium, qui quin etiam inferioris exercitus animum pertentarit, dubitari non potest, legiones I, VI, X, XXII primo secutae postea deseruerunt;[2]) aut omnino illecebras et incitationes neglegentes, consilia nefaria repudiantes sacramentum, quo pro Domitiano sese adegerant, violare non ausae sunt; aut ultro etiam suis armis castis atque religiosis illorum scelus et impietatem exstinguere subvertereque studuerunt et Appio Maximo duce, quod voluerunt, amplissime perfecerunt.[3])

---

1) eadem ratio valebat in cognomine „Commoda" legion. VIII Augustae, cum Commodus et ipse a senatu damnatus esset; J. Helv. 64 anno 954|201 positus eo explicatur, quod Severus Commodi memoriam restituendam curaverat.

2) haec plane iis, quae sub Claudio legiones VII et XI fecerunt, respondent cf. supra p. 14.

3) Vitellius a. 822|69 misit ad legatos legionesque sui, scil. inferioris, exer-

Digitized by Google

Quorum quid re vera factum sit, quamquam in medio relinquendum est, tamen id, quod annalium memoria ne levissimo quidem momento significat exercitum inferiorem aliquomodo in superioris seditione versatum esse, nihil ad sententiam nostram infringendam valere, nemo negabit qui quam exigua, incerta, corrupta, falsa sit memoria cum omnium rerum sub Domitiano gestarum, tum ipsius seditionis Antonianae, secum reputaverit. Quae cum ita sint, legionem X geminam una cum ceteris exercitus inferioris legionibus a. 842/89 cognomina pia fidelis (Domitiana) accepisse censemus.

III. Cognomina, quae legio X gemina saeculo tertio habuit, Antoniniana, Severiana, Gordiana, alia, collata sunt in ind. IIII. B. 3—7.

Priusquam ad ipsam legionis historiam enarrandam accedamus, paucissima addere liceat

§ 3 De origine militum legionis X g.

Cum nuper Mommsenus tabulam militum origines continentem locupletissimam composuerit[1]) idemque vir doctissimus de tota dilectus qui erat aetate imperatoria, ratione sagacissime disputaverit,[2]) nihil restat, nisi ut demonstretur ea, quae illic universe tractata sunt, valere etiam in nostra legione.[3]) Cuius militum origines quamquam perpauci tituli praebent, tamen vestigia exigua earum rationum et institutionum, quas ad dilectus legionum pertinuisse Mommsenus statuit, etiam hic apparent atque elucent.

Dum legio in Hispania tendebat, praeter Italos,[4]) qui per totum fere primum saeculum maximam partem legionum complebant, sup-

---

citus, qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem" (Tacit Hist. I 56): qui locus, quamquam, cum Vitellius, quid illi facturi essent, haud ignoraret, legatis tum quidem vix serio data est optio, utrum pacem vellent habere an bellum moliri conarentur, tamen minime incredibile visum esse ostendit fieri posse, ut alter exercitus Germanicus cum altero armis atque acie decertaret. Contra non verisimile est, exercitum Pannonicum, qui a. 842|89 bello Dacico etiam tum quam maxime saeviente detentus erat, tam procul profectum, ut seditionem domaret, provincias hostibus vastandas permisisse.

1) in Eph. ep. V p. 198—231.

2) Hermes XIX p. 1—23.

3) summatim, sed recto de his rebus disputavit Aschb. leg. X g. p. 248 et 250.

4) n. 37 miles leg. X, ortus Cremona.

Digitized by Google

plementa diligebantur praecipue ex proxima provincia senatoria, Baetica[1]) scilicet, minus ex Narbonensi; praeterea Lusitania et Tarraconensis[2]) pro sua parte legionarios praebuisse videntur, quamquam has provincias, quippe quae permultas auxiliorum cohortes alasque mitterent,[3]) dilectum legionarium non ita amplum admisisse verisimile est. — Etiam tum cum, legio inde ab a. 823/70 in Germania castra haberet, multi Itali[4]) stipendia merebant; sed maxime Narbonensem,[5]) provinciam frequentissimam atque florentissimam, in Baeticae locum successisse oportet. — Denique post dilectum ab Hadriano omnibus legionibus ita institutum, ut ex sua quaeque potissimum provincia, quin etiam ex ipsis castris suppleretur, legio X gemina, collocata in Pannonia, milites habebat plerosque ex terris ad Danuuium sitis oriundos,[6]) paucos Italos.[7]) Quod vero duo legionis milites ex Asia vel Syria oriundi sunt,[8]) prima quidem specie mirum videtur; sed haec res ut explicatur eo, quod illi, cum legio propter expeditionem aliquam in Syria moraretur, fortasse dilecti sunt, sic legionem Pannonicam expeditionibus orientalibus interfuisse quodammodo probat.

---

1) n. 36 miles oriundus Hispali, n. 40 oriundus Italica ex Hispania.

2) miles n. 48, Calagurri (in Hispan. citer.) ortus haud dubie in Hispania dilectus cum legione in Germaniam transiit.

3) laterculum invenies apud Momms. Eph. ep. V p. 165—169.

4) n. 46 Augusta Taurinorum, n. 47 Brixia.

5) n. 49 Tolosa; adhibendus est etiam n. 61; nam cum pater et mater Narbone sepulti sint, filius quoque una cum iis conditus Narbone oriundus esse videtur; n. 62, qui est „civ. R. A.“ haud dubie ortus est Reiis Apollinaribus. Num etiam n. 44 oppidi vox minus clara huc referenda sit, incertum (fortasse = Liviana in Gall. Narb.?)

6) n. 101 Carnunto, n. 108 Poetovione.

7) n. 87 Florentia.

8) n. 67a Augusta, scilicet Troadis Asiae, n. 83 Antiochia Syriae.

Digitized by Google

CAPUT II.

De legione X gemina in Hispania.

§ 1 Quo tempore legio in Hispaniam missa sit, quaeritur.

Vetustissimum post bellum Actiacum testimonium, quo legio X[1]) memoratur, esse nummos nonnullarum coloniarum Hispanicarum inter omnes constat: nummi coloniae Augustae Emeritae Lusitaniae sub Augusto flati[2]) praebent aquilam legionariam et duo signa militaria cum numeris legionum V et X; nummi coloniae Patriciae (Cordubae) Baeticae[3]) et ipsi caput Augusti exhibent cum numeris earundem legionum; nummi coloniae Caesaraugustae Tarraconensis cum capite Augusti nominant legiones VI, X,[4]) Tiberii legiones IIII, VI, X.[5]) — Itaque quaerendum quid omnino legionum numeri vel pro illis aquilae legionariae signaque militaria in nummis coloniarum vel provinciarum sibi velint: utrum, ut Eckhelius D. N. VIII

---

1) Quamquam disertis verbis non dicitur, hanc esse geminam, non fretensem, tamen quin omnes hi nummi ad geminam referantur recte, dubium esse non potest; quae infra disputabuntur, hoc recte statutum esse confirmabunt. cf. Boissev. p. 7.

2) Cohen I² p. 149 n. 594, n. 595, Eckh. I p. 12. Pf., qui p. 100 sq. eiusdem coloniae nummos cum numeris legionum IIII, VI, X exstare contendit, nummos Emeritenses haud dubie confundit cum Caesaraugustanis, cum in Florezii libro (Medallos de colon. de Espan.) quam laudat Pf., talis nummus non exhibeatur; vix opus est dicere, etiam omnia, quae Pf. his nummis fretus de agrorum Emeritensium adsignatione saepius facta disputat explodi.

3) Cohen I² p. 150 n. 605.

4) Cohen I² p. 154 n. 663.

5) Cohen I² p. 198 n. 101 — nummus coloniae Juliae Gemellae Accitanae, quem praebet Florezius tab. II n. 3 p. 130, cum capite Augusti et numero legionis VI, male lectus videtur atque et ipse legiones, quae saepius in nummis Accitanis occurrunt, significare, I et II, (I II = II).

Digitized by Google

p. 492 dicit, legionum milites emeritos in coloniam esse deductos, an legiones in colonia aut in propinquo stativa habentes provinciae praesedisse significent. In nummis vero oppidorum graecorum, quae numquam colonos veteranos exceperunt, cum non solum aquilae et signa reperiantur,[1]) sed etiam ipsi legionum numeri memorentur,[2]) mea quidem sententia negari iam non potest oppida et provincias legiones vel cohortes, quae cuique praesidebant, nonnumquam in nummis suis honoris causa commemorasse vel tantum significasse aquilis. Sed his nummis non ante Commodum, plerisque saeculo tertio cusis cum haec ratio posteriore demum aetate in usum venisse videatur, superiore tempore non modo signa et legionum numeri non occurrunt,[3]) nisi in coloniarum nummis, sed etiam plerumque demonstrari potest illa alludere ad veteranos in coloniam deductos: legiones X et XII, quae in nummis coloniae Augustae Aroë Patrensium, conditae a. 738/16 (C. J. L. III p. 95) inde a Nerone usque ad Domitianum memorantur,[4]) ut mittamus in Achaia, provincia senatoria, eas non potuisse stativa habere, huc deductas esse demonstrant tituli aetatis Augusteae III 508, III 504, 507 = Eph. IV p. 47 n. 92, III 509; legionis V, quae cum iam inde a Tiberio signis militaribus significetur,[5]) sub Gordiano demum aperte

---

1) ut in nummis Tavii Galatiae sub Severo et Caracalla cusis (Eckh. III p. 182), Nicaeae Bithyniae sub Caracalla (Eckh. II p. 423), Juliopolis Bithyniae sub Commodo (Eckh. II p. 422), Hierapolis Coelesyriae sub Alexandro (Eckh. III p. 262) aliisque.

2) in nummo Alexandrino Numeriani et Carini *ΛΕΓΒ ΤΡΑΙ* (= leg. II Traiana, quae inde a Traiano in Aegypto castra habebat) Eckh. IV p. 95; in nummis provinciae Daciae sub Philippo aliisque cusis leg. V et XIII (quarum haec inde a Traiano, illa a Severo in Dacia tendebat) Eckh. II p. 5. Alia non ita certa omitto.

3) nummi municipii Italicae Baeticae, qui capita Germanici (Coh. I² p. 227 n. 16) et Drusi (I² p. 218 n. 9) exhibentes praebent aquilam legionariam et duo signa militaria, non ad cohortes ibi tendentes alludere videntur, sed ad originem municipii, quod conditum esse a Scipione veteranis sauciisque ibi collocatis tradit App. Iber. 38 cf. Momms. R. G. II⁶ p. 4. C. J. L. II p. 146. Praeterea illo tempore copias Jtalicae tetendisse non verisimile cf. Jung: Rom. Prov. p. 15adn, 1 et Zeitschr. f. oesterr. Gymn. XXV p. 675—76adn, 3; Boissev. p. 61—63.

4) Cohen I² p. 307 n. 412, 413 p. 351 n. 442, p. 531 n. 733, 735, 736.

5) Cohen I² p. 206 n. 196 p. 463 n. 409_2 II² p. 402 n. 1235 sqq.

Digitized by Google

nominatur in nummis Antiochiae Pisidiae, ab Augusto conditae (Eckh. III p. 19), veteranos ab Augusto huc deductos esse ostendunt[1]) tituli III 293, 294, legione ipsa in Germania collocata (cf. Grotef. Z. f. Alterth. 1840 p. 654 adn. 3); deinde stativa legionum significari non possunt: in provincia Narbonensi,[2]) in Macedonia,[3]) in Syria,[4]) certe legionum IX et XI, quae procul a Syria tendebant, in Baetica.[5]) Quae cum ita sint, pro certo affirmare licet, in colonias Emeritensium et Cordubensium veteranos legionum V et X, in Caesaraugustanorum veteranos legionum VI et X, et iterum legionum IIII. VI. X deductos esse,[6]) ubi autem illae legiones tetenderint, nummos coloniarum nihil nos docere.

Itaque cum alia quaerendi ratio sit ineunda, Strabo quidem libro III (4 p. 166sq.), qui a. 771/18 editus esse videtur, in Hispania tetendisse tres legiones testis est: quae quibus numeris insignitae fuerint, cognoscemus, si quibus legionibus omnes ceterae provinciae illo quidem tempore occupatae sint, consideraverimus: eae enim legiones, quae alibi non tendebant, Hispanicae fuerint necesse est. Et

---

1) Jtaque etiam conicere licet, legiones II et VII, quae exstant in nummo col. Juliae Gemellae Pariensium Mysiae, quae condita erat a Caesare aut Augusto sub Gallieno flato, (Eckhel II p. 462,) eas esse, quae ab Augusto vel Caesare huc deductae sunt: in Asia provincia legiones non tetendisse vix est, quod moneam.

2) legionis VI in nummis col. Jul. Ruscinonis a Caesare aut Augusto conditae Eckh. I p. 70.

3) COHORPRAE in nummis col. Philippensis Eckh. II p. 75 sq.

4) legionum VI, IX, X, XI in nummis col. Claudiae Ptolemaidos., deductae a Claudio Cohen I² p. 309 n. 431—433.

5) legionum I et II in nummis col. Juliae Gemellae Accitanae Coh. I² p. 152 n. 632, 633, 634, p. 198 n. 93. — Nummi col. Jul. Aug. Beryti Syriae, conditae ab Augusto, inde a Claudio (fortasse iam ab Augusto cf. Eckh. III p. 356) usque ad Nervam (Coh. I² p. 263 n. 138, 139, II² p. 15 n. 164) exhibentes legiones V et VIII [has fuisse V Maced. et VIII Augustam nummis col. Jul. Aug. Heliopolitanae demonstratur cf. Grotef. Z. f. Alterth. 1840 p. 654] non adhibendi sunt, quia illae legiones eo tempore, quo coloniae conditae sunt, fortasse in Oriente tendebant et a. 758|5 demum in Illyricum missae sunt (Vellei. II 102 § 4).

6) idem videlicet valet de ceteris coloniis, in quibus quid nummi significent per se cognosci non potest: signa militaria in nummis col. Caesar. Ilici Augustae sub Augusto et Tiberio (Coh. I² p. 157 n. 713, 714 p. 202 n. 144—146), col. Augustae Felicis Nimive sub Traiano (Coh. II² p. 93 n 715) col. Aeliae Capitolinae sub Hadriano (Coh. II² p. 243 n. 1595) aliarumque.

Digitized by Google

cum omnia fere omnium provinciarum praesidia legionaria testimoniis amplissimis fidissimisque,[1]) quae ne dicam eiusdem anni, certe eiusdem paene temporis sunt, tradantur, certissime affirmari potest, Augusto mortuo in Hispania fuisse legiones tres, quae in aliis provinciis non reperiuntur, scilicet IIII Macedonicam, VI victricem, X geminam. — Quin etiam iam vivo Augusto easdem in Hispania legiones castra habuisse contendere licet. „Atenim fortasse post bella demum Cantabrica hae legiones in Hispaniam adductae sunt, ut aliis auxilium ferrent vel degressis succederent.“ Sed cum inde a fine belli Cantabrici a. fere 733/19 pax in Hispania non iam turbaretur, quot quantaque bella in aliis provinciis erant gerenda: post tres legiones, XVII, XVIII, XVIIII, bello Variano caesas tantum aberat ut legiones in Hispaniam mitterentur, ut tum II Augusta ex Hispania ad Rhenum arcesseretur [2]) paucis annis ante (a. 759/5) legionibus, quae erant, bello Marcomannico patrando et seditioni periculosissimae totius Illyrici supprimendae non sufficientibus non solum octo legiones conscriptae sunt[3]), sed etiam ex oriente quinque traiectae[4];) satis est in memoriam

---

1) notissimae sunt legiones utriusque Germaniae ex Tacito (Annal. I, 31, 37) annis 767|14 sqq.: erant I. V. XX. XXI in inferiore, II, XIII, XIIII, XVI in superiore, item Pannonicae (Annal. I, 16) a. 14: VIII, IX, XV; Delmaticae (III 3200 a. 17|19, III 2908 sed cf. Eph. IV p. 113 n. 376 a. 18|19): VII, XI; Moesicae erant IIII et V (III 1698 a. 33|34); item pleraeque orientales ex Tacito (Annal. II, 79, 81, 57) a. 772|19 erant III, VI, X, XII; Aegyptiacae III et XXII (III 6024 a. 47|48) [sane ex tribus quae a. 767|14 fuerant teste Strabone XVII, 1 § 12 p. 797, una, fortasse XII, a Germanico in Syriam translata est, quae provincia a. 743—50 tres habebat legiones (Joseph. Antiq. XVII, 10, 9) a. 776|23 quattuor (Tacit. Ann. IV, 5], legio Africana erat III Augusta (VIII 10023 a. 767|14).

2) cf. Boissev. p. 9 et 11. — ex titulis legionis II, qui in Hispania exstant, foedissime corruptis (II 266, 985, 5053, 2480 ≡ Eph. ep. IV p. 16) vix quidquam concludere licet; alicuius momenti est, quod miles leg. II (Bramb. 1892) est Lusitanus; sed gravissimum videtur, quod tribunus legionis II Augustae etiam erat praefectus Asturiae (II 4616), hos praefectos plerumque fuisse tribunos legionum in vicinia collocatarum et utroque officio, tribunatu et praefectura, simul perfunctos esse notissimum est; titulum esse aetatis Augusteae ostendit, quod idem vir fuit „II vir quinquennalis Ilurone primus.“ — Bramb. praef. p. X et Aschb. leg. X g. p. 246 et ipsi censent, legionem II ex Hispania in Germaniam venisse; Düntzero B. Jahrbb. LXXIII p. 30 adn. neque hoc placet, neque id quod posuit Pf. p. 16 et 222 legionem primo fuisse collocatam in Aegypto.

3) Mommsen R. g. d. A² p. 70—72.

4) Vellei. II, 102 — quamquam non traditum est legiones ex Hispania ad

Digitized by Google

revocare, quanta legionum vi opus fuerit ad expeditiones maximas, quibus Tiberius Caesar et Drusus, Tiberii frater, usque ad Visurgim et Albim flumina penetraverunt, subeundas, quantis copiis ad Pannoniam Delmatiamque et Alpium ferocissimas gentes in dicionem populi Romani redigendas (a. 739/15 et sqq.) — Haec omnia nobis reputantibus elucebit, inde a fine belli Cantabrici a. 735/19 usque ad Augusti mortem novas legiones omnino non potuisse in Hispaniam transferri, quippe quae provincia magnam partem exercitus, quo tenebatur, aliis provinciis concedere cogeretur: II Augustam a. 762/9 (fortasse etiam legionem I), V Alaudae ante a. 738/16[1]) Germaniis. Itaque omnes illas tres legiones, quas supra demonstratum in Hispania fuisse sub Augusti mortem, in eadem provincia tetendisse sub finem belli Cantabrici verisimillimum est: hoc eo confirmatur, quod unam ex iis traditum est iam a. 748/6 in Hispania castra habuisse, scilicet legionem VI.[2]) — Porro, cum Emeritam, qua in colonia, condita a. 729/25,[3]) iam 732/22 P. Carisius legatus nummos cudit,[4]) eos milites deductos esse, qui in exercitu, qui tum in Hispania militabat, aetate vel vulneribus confecti stipendia expleverant, ex Dione elucere videatur, nonne proximum vero esse putandum est, legiones VI et X, quarum veteranis tum[5]) in illa colonia agros adsignatos esse constat, iam ipsi bello Cantabrico interfuisse?[6]) et quo alio modo

---

bellum arcessitas esse (Pf. p. 103) tamen ut illis tempestatibus aliunde in Hispaniam legiones mitterentur, plane fieri non potuit.

1) cf. supra p. 9.

2) cf. bullet. dell' inst. 1856 p. 84; tempus eo efficitur, quod idem Octavius Ligur, cui hic titulus positus est, cum duovir patriae esset, una cum collega suo titulos duos dedicavit: alterum „Agrippae M. f. Augusti nepoti annos nato VII" (Fabretti p. 625 n. 211) alterum „L. Caesari Augusti f. annos nato XI" (Fabr. p. 625 n. 212) — annus natalis L. Caesaris fuit 737|17 (Schiller R. K. I p. 184 adn. 6).

3) Dio LIII, 26, 1: *παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τὴν Αὐγούστειαν Ἡμερίταν καλουμένην κτίσαι ἔδωκε* et q. sq. cf. C. J. L. II p. 52 et ll. ib. l.

4) Cohen I[2] p. 117 n. 386—405; Eckh. V p. 164, VI p. 92. cf. Dio LIII, 25, 8.

5) nam de hac una deductione illa quidem aetate facta comperimus; quae Pf. proposuit, falsa esse, vide supra p. 19 adn.[2]

6) hoc etiam ad legiones ceterarum coloniarum Hispanicarum pertinere verisimile est, quamquam, quo quaeque anno condita sit, non constat: Cordubae fortasse et ipsi a. 729|25 veteranorum supplementum attributum est (nam colonia iam fuit teste Strabone prima Romanorum in Baetica *κτίσμα Μαρκέλλου*

Digitized by Google

Augustus et militibus, qui optime de eo meriti erant, praemia exsolveret, et publicae utilitati, cuius curam in se receperat, providere melius potuit, quam ut iis militibus, qui suis viribus et sanguine ferociam saevitiamque Asturum atque Cantabrorum contuderant et diuturna militiae consuetudine terrarum caelique et hominum peritissimi erant, agros adsignaret in colonia cum amplissima fecundissimaque, tum ob id ipsum, ut indigenae nondum plane pacati et reprimerentur et Romanorum cultu moribusque imbuerentur, constituta? Itaque non audacius videmur censere, has legiones inde a nova omnium rerum publicarum forma ab Augusto post bellum Actiacum instituta in Hispania militasse.[1]) —

Legio X gemina per centum fere annos in eadem provincia permansit, quamquam monumenta, quae ibi reliquit, pro temporis spatio satis exigua et tenuia sunt: praeter ea memoratur in titulo, qui quod certo anno attribui non potest, valde dolendum, n. 15, „Q. Atatinus Modestus trib. mil. leg. X geminae in Hispania annis XVI," haud dubie ante Vespasianum exarato.

§ 2 De castris legionis X gem.

Ante bellum Asturicum Cantabricum, quod quotiens repressum esse ducebatur, totiens resurgebat, plane peractum in certis stativis singulas legiones tetendisse non verisimile est: utcumque tempora necessitasque poscebant, huc illuc legiones ad opprimendam seditionem rapiebantur Sed postquam a. 735/19 vel 738/16 hostes alii acie caesi, alii deditione capti sunt, legionibus, quae remanebant, sua cuique provincia, cui praesidio esset, attributa est; sub Augusto quot legiones in quoque conventu fuerint dispositae, ignoramus; sub Tiberio Strabo)[2] nos

cos. a. 150 a. Chr. cf. Jung. Rom. Prov. p. 14, adn. 3. Hübner C. J. L. II p. 306; eo facile explicatur, cur Dio l. l. Cordubam omiserit, Emeritam commemorarit); Caesaraugusta condita est fortasse a. 739|15 (Dio LIV, 23, 7) certe ante a. 746|8 vel 747|7 (propter vias publicas tum munitas II 4920, 4923; 4936—38); colonia bis veteranos accepisse videtur, primum legionum VI et X, deinde legionis IIII (nam nummus apud Florez. I tab. VI, 1 p. 189 videtur idem atque is apud Cohen I² p. 154 n. 663, et male lectus).

1) cf. de legionibus Hispanicis Augusti aetatis generaliter disputantes Boissev. p. 4—12, Pf. p. 99—103. — Quod Aschb. leg. X g. p. 246 legionem X primo ad Danuvium stationem habuisse censet, id, quamquam falsum esse demonstrari non potest, tamen nihil habet, quo commendetur: certe, quantum licet nobis cognoscere de legionum stativis, legio X primo in Hispania erat.

2) Strabo III 4 § 20 p. 166 seq.: *ἡ λοιπὴ (αὕτη δ' ἐστὶν ἡ πλείστη τῆς Ἰβηρίας) ὑπὸ τῷ ὑπατικῷ ἡγεμόνι στρατιάν τε ἔχοντι ἀξιόλογον τριῶν που ταγμάτων καὶ*

Digitized by Google

docet in Asturia et Gallaecia tetendisse duas, in terris, quae inde ad Pyrenaeum montem vergunt, unam: hanc ad definiendam valde nos adiuvant duo tituli[1]), termini positi inter prata legionis IIII et agros alter Juliobrigae, alter Segisamonis; quorum oppidorum, cum illud, quamquam situm erat in Cantabrorum finibus,[2]) tamen a Plinio (hist. nat. III, 3,27) conventui Cluniensi attribuatur, hoc quin et ipsum ad eum conventum pertinuerit, multo minus possit dubitari (Plin hist. nat. III, 3,26),[3]) utrumque continetur eo conventu, cui Strabo dicit secundum legatum legati Augusti propraetore consularis cum una legione praefuisse. Itaque cum ab omni probabilitate abhorreat, legionem in alio conventu stativa, in alio agros prataque habuisse, iam intellegitur, legionem IIII Macedonicam *τὴν ἑξῆς παρόρειον μέχρι τῆς Πυρήνης* sub secundo legato occupasse;[4]) qua re perspecta optime explicatur, cur haec ipsa legio prima ex Hispania amota sit, nimirum quod huius tractus incolae cum consuetudine cultuque Romanorum etiam animi tranquillitatem pacisque amorem induerant citius quam Astures, quibus duae reliquae legiones prae-

---

πρεσβεντὰς τρεῖς, ὧν ὁ μὲν δύο ἔχων τάγματα παραφρουρεῖ τῆν πέραν τοῦ Δουρίου πᾶσαν ἐπὶ τὰς ἄρκτους ἣν οἱ μὲν πρότερον Λυσιτανοὺς ἔλεγον οἱ δὲ νῦν Καλλαϊκους καλοῦσι. συνάπτει δὲ τούτοις τά προσάρκτια μέρη μετὰ τῶν Ἀστύρων καὶ τῶν Καντάβρων . . . . . τὴν δ' ἑξῆς παρόρειον μέχρι Πυρήνης ὁ δεύτερος τῶν πρεσβεντῶν μετὰ τοῦ ἑτέρου τάγματος ἐπισκοπεῖ, ὁ δὲ τρίτος τὴν μεσόγαιαν et q. sq. Haec omnia iam ad Augusti tempora vix referenda sunt, cum legionibus compluribus ex Hispania degressis etiam earum, quae remanebant, stativa aliquomodo mutata esse possint; sed inde ab a. 762|9 legiones eodem modo distributas fuisse licet conicere. Nam quod Momms. R. g. d. A² p. 119 sq. suspicatus erat, Lusitaniam et Baeticam a Tiberio demum divisas esse, iam ipse mutavit R. G. V p. 58 adn. 1, et ad tempora post bella Cantabrica revocavit: haud dubie recte, cf. Marquardt: R. St, I² p. 253 adnn. 4—6.

1) II 2919, a—d, Eph. II p. 246, IV p. 10 n. 27; saltem Tiberianae sunt aetatis, fortasse Augusteae, cum legionem IIII a Claudio in Germaniam translatam esse constet.

2) homines Juliobriga orti Cantabros se esse praedicant: II 4240 „Cantabr. Juliobrig," II 4192 „Juliobrigensis ex gente Cantabrornm," etiam Plin. hist. n. III, 3, 27: „nam in Cantabricis VII populis Juliobriga tantum memoretur."

3) praeter alia in describenda Hispania hanc conventuum divisionem Plinium ex ipsius Augusti libro hausisse demonstravit Detlefsen: Commentat. Mommsen. p. 29—34.

4) legionem castra habuisse Pisoracae putat Momms. R. G. V p. 60 adn. 1 — de hoc secundo legato cf. Marquardt R. St. I² p. 254 adn. 11.

Digitized by Google

sidebant. Quod si recte statutum est, duae legiones in Asturia et Gallaecia collocatae sub primo legato erant VI victrix et X gemina.[1]) Castra vero ipsa[2]) ubi fuerint, accuratius definiri vix potest vixque poterit, nisi materies titulis sepulcralibus pluribus repertis aliquanto aucta erit, praesertim cum ex tegulis legionariis, quae alioqui ad castra stationesque cognoscenda vel amplissimum instrumentum praebent, quidquam elici non posse videatur: nam legiones Hispanicae numerorum suorum notis tegulas non signasse videntur omnino ante Vespasianum.[3]) Sed verisimile est, una[4]) duas legiones praetoria habuisse, id quod primo saeculo usque ad Domitianum in omnibus fere provinciis, quae quidem compluribus legionibus occupabantur, usitatum erat (Suet. Dom. 7). Post vero legionem IIII a Claudio ex Hispania abductam[5]) legio altera de duabus, quae remanebant, in degressae locum successerit necne; utra, si hoc affirmandum sit, in veteribus castris relicta sit, utra transmigraverit, quamquam nondum potest diiudicari, tamen conicere licet, cum conventus, in quo legio IIII tetenderat, sane facilius praesidio carere posset, legiones immotas haesisse in regionibus iis, quibus inde ab initio attributae erant.[6])

---

1) convenit, quod in his regionibus harum legionum nonnulli cippi, qui omnino sunt rarissimi in Hispania, reperti sunt: legionis VI II 2374 = Eph. IV p. 15 Bracar. Aug. — legionis X n. 36 Iriae, n. 37 Astur. Aug. — de hoc legato, qui primo „leg. Aug. per Asturiam et Gallaeciam“ appellabatur, postea „leg. Aug. iuridicus per Asturiam et Gallaeciam“ cf. Marquardt R. St. I² p. 254 adn. 10.

2) maxime cogitare licet de castris, in quibus inde a Vespasiano, quae tum sola erat, legio VII gem. tendebat, nempe Legione; vel de vicinitate Bracarae Augustae, quae castra eo commendantur, quod iam sub Augusto ibi viae munitae sunt (II 4868).

3) nam II 4973, 3 tegula legionaria esse non potest: primum, num VICTRICIS legendum sit, prorsus incertum, deinde nomen legionis nomini centurionis figuli (hoc solum in primo versu fuisse potest) postpositum quam maxime offendit.

4) certum id esset, si demonstrari posset, legiones in titulo IX 4122 memoratas esse Hispanicas; at etiam in Syria tendebant legiones VI (ferrata) et X (fretensis).

5) Grotef. Pauly IV p. 878, Boissev. p. 16. Pf. p. 103, 231.

6) vix opus est admonere, quod Aschb. leg. X g. p. 246 putat, legionis X stativa ad Hiberum flumen fuisse prope Caesaraugustam, fretus nummis Caesaraugustanis, falsum esse cf. supra p. 20 et 21; omnino cf. Stille hist. legg. p. 82 adn. 2, Boissev. p. 14, sqq.

Digitized by Google

§ 3 De bellis, quibus legio X g. interfuit et de expeditionibus, quas suscepit.

I. Bellis Cantabricis, quae legionem inde ab a. 725/29 pro sua parte profligasse verisimile est,[1]) peractis, tamen cum postea saepius minores seditiones moverentur, legio X et omnes Hispanicae (praeter legionem II cf. p. 22 adn. 2) ex provincia amoveri non potuerunt; itaque maioribus expeditionibus non interfuerunt: neque enim exstat quicquam, quo commoti suspicemur, legionem ad bella gravissima a Tiberio et Germanico per annos 740/14 — 745/9 et 759/6 — 762/9 in Illyrico gesta arcessitam esse, et quod Pfitznerus p. 15 et 113 contendit, tum dimidias legiones VI et X, ut legionibus in Illyricum degressis succederent, in Syriam missas easque appellatas esse VI ferratam, X fretensem, plane repudiandum esse videtur: demonstrari enim potest has Syriacas, VI ferratam et X fretensem, iam multo antea fuisse. Beneventi enim, quo coloniam deductam esse a triumviris a 713/41 supplementumque missum esse veteranorum ab Octaviano post bellum Actiacum constat,[2]) cum permulti reperti sint[3]) tituli veteranorum legionum VI et XXX, quarum illa appellatur VI ferrata (IX 1613), sequitur, legionem VI ferratam fuisse iam Actiacam et fortasse Philippensem: qua re cum illa Pfitzneri sententia iam refutata sit, fortasse etiam legionis X fretensis monumentum aetate Augusti positum exstat. Capuae enim, quae colonia a Caesare patre facta,[4]) deinde saepius suppleta, denique a Caesare Octaviano a. 718/36 iterum deducta est,[5]) reperti sunt duo tituli veteranorum legionis X,[6]) quae in altero cognominatur fretensis. Itaque legiones

1) cf. p. 23 sq. sed ea non memoratur. — De rebus in his bellis gestis exponere ab hoc loco alienum est cf. Schiller R. K. I p 205—208. Legionem quae illo tempore in Lusitania militabat, memoraret fortasse titulus VI 3502, nisi mutilatus esset cf. X 680.

2) Mommsen C. J. L. IX p. 137, Hermes XVIII p. 170, 176, 181. 185; Appian b. c. IV 3, liber coloniarum in „Schriften der römischeu Feldmesser" ed. Lachmann I p. 231 et 232.

3) legionis VI: IX 1601, 1606, 1613, 1622, 1624, 1626, 2091 (fortasse 1502, 1625) legionis XXX: IX 1603, 1605, 1610, 1616, 1620, 1629, 2115, 2167 (2114) — hi tituli ad alterutram deductionem pertineant necesse est. Is, qui legiones Beneventum deduxit, fuit fortasse L. Munatius Plancus (X 6087).

4) Caes. b. c. I 14, 4. Suet. Caes. 81. lib. colon. p. 231.

5) Momms. C. J. L. X p. 368, Herm. XVIII p. 168, 170, 181, 185, Velleius II 81, Dio XLIX 14.

6) X 3887, 3890 (veterani haud dubie a Caesare deducti est titulus X 3903).

Digitized by Google

VI ferratam et X fretensem, quia illam iam aetate belli Actiaci fuisse certum est, hanc belli Siculi aetate verisimile, legiones VI et X Hispanicae anno demum 758/5 ut de se parerent, fieri non potuit.

II. Porro cum sub Tiberio, nihil memoratu dignum in Hispania accidisse videatur, quoniam Tacitus de rebus Hispanicis silet, fortasse in bello in Mauretania sub Gaio et Claudio gesto legiones Hispanicas partes quasdam egisse conicere licet: quamquam enim, quibus copiis Romani[1]) bellaverint, non constat, tamen terrarum, in quibus certabatur, omnem situm atque naturam considerantibus nobis patet ex Hispania multo facilius Mauretaniae bellum potuisse inferri,[2]) quam ex Africa, praesertim cum illa aetate hiberna legionis Africanae, III Augustae, ubicumque erant, multo longiore intervallo a Mauretaniae finibus disiuncta essent, quam postea inde ab Hadriano Lambaesitana. Accedit, quod frumentum aliaque, quibus in bello opus est, exercitui, qui in Mauretania militabat, subvehere iussum esse ex Hispania Umbonium Silionem, proconsulem provinciae Baeticae, tradit

---

Quod in X 3890 iam veterani vox usurpatur, non plane movet, ut titulum posterioris demum aetatis esse censeamus: nam etiam in III 504, 507 = Eph. IV p. 47 n. 92, III 509 veterani leg. XII fulm. III 293, 294 veterani leg. V Gall. inveniuntur, qui certo sunt ab Augusto deducti. Accedit, quod post ipsum bellum Siculum, cui legio X fortasse interfuit (cf. p. 7 adn. 1) Capuam deduxit Augustus veteranos exercitus sui (Vell. II 81), ita ut duae hae res altera alteram adiuvare videantur. Sed non plane negandum est titulum X 3890 etiam ad deductionem sub Nerone a. 810|57 factam (Tacit. Ann. XIII 31) referri posse.

1) duces, qui memorantur, Gabinius (Dio LX, 8, 6), Suetonius Paulinus (Dio LX. 9, 1, Plin. h. n. V, 1, §§ 11 et 14) Hosidius Geta (Dio l. l.), qui praetorii erant, non ordinario aliquo officio functi esse videntur, sed ad ipsam terram in provinciae formam redigendam missi, id quod sine bello fieri non posse princeps sciebat. [simili modo Thracia, quae et ipsa postea a procuratoribus administrabatur, ad tempus a viro praetorio administrata est cf. Tacit Ann. II 67]. Galbae proconsuli Africae, cum Mauris rem fuisse ex Suet. Galb. c. 7 non sequitur. — An fortasse id ipsum, quod summam belli gerendi proconsuli credere non tutum esse putabatur, Gaium commovit, ut legionem Africanam illi demptam legato a se misso traderet (Tacit. Hist. IV 48)? id haud scio an quodammodo commendetur, si Cassius Dio qui LIX 20 hanc mutationem factam esse, cum Calpurnius Piso Africam obtineret, scil. a. 792|39 narrat, praeferendus est Tacito, qui Hist. IV 48 dicit legionem M. Silano proconsuli Africae inde ab a. 784|31 usque ad a. 790|37 demptam esse; Dionem testem potiorem ducit Tissot: Fastes de la province romaine d'Afrique 1885 p. 56.

2) cf. b. Alexandr. c. 51; Albinus, procurator Mauretaniarum ex Hispania debellatur (Tacit. Hist. IV 58); sub Pio „praefectus auxilior, in Mauret. Tingit. ex Hispania missor.“ III 5211—5216; idem significant tituli non rari militum

Digitized by Google

Dio LX, 24 § 5 et 6. Quae cum ita sint, legiones Hispanicas, vel earum vexillationes ad bellum gerendum in Mauretaniam translatas esse suspicamur neque, quominus ad hanc expeditionem dona militaria C. Iulio Camillo, tribuno legionis IIII Macedonicae, a Claudio data referantur, quid impediat videmus.[1])

III. a. Iam accedamus ad quaestionem difficillimam ubi legio X gemina a. 821/68 fuerit. Hoc enim anno ineunte (mense Aprili) Servio Sulpicio Galbae, praesidi Hispaniae citerioris, cum imperator ab exercitu appellaretur, haud dubie praesto fuit una[2]) tantum legio, quam certissimum est fuisse VI victricem;[3]) et quod Josephus b. Jud. II 16,4 in magna oratione, qua Agrippa rex Judaeos, quominus seditionem contra Romanos moverent impediebat, habita ineunte a. 819/66, Hispaniae unam legionem attribuit,[4]) ex iis intellegi potest legionem X geminam illo tempore in Hispania non fuisse. Atqui Ritterus contendit[5]), Galba licet unam tantum legionem sub signis habuerit, minime, ut illa aetate haec sola tota in Hispania fuerit, effici, immo potuisse alteram in Hispania ulteriore in aestivis vel hibernis castris sub alio praeside tendere. Sed primum in Baetica, provincia senatora leigiones castra habere non poterant,[6]) deinde, si M. Salvius

legionis VII geminae Hispanicae in Africae provinciis reperti: ut C. J. L. VIII 2938, 3075, 3226, 3245, 3268, 7139, Eph. V p. 300 n. 455 p. 455 n. 943 cf. Fiegel Hist. leg. III Aug. p. 27 sq. quandocumque Mauretaniae copiae ad seditiones incolarum opprimendas vel incursiones barbarorum reiciendas non suffecerunt, ex Hispania auxilia arcessita sunt.

1) J. Helv. 179, Hagen tit. Aventic. n. 33. recte hoc statuit Pf. p. 103 et 249 contra Borghes. IV p. 207 ad expeditionem Britannicam, et Grotef. Pauly IV p. 877 ad bellum Chatticum a. 808|50 illa referentes. Quomodo Hübner Herm. XVI p. 522 adn. 5 verbum iterum ad secundum Claudii consulatum h. e. a. 795|42 referre potuerit non intellego; recte illud interpretatus est Schmidt Herm. XIV p. 333 adn. 5.

2) Suet. Galb. c. 10: e plebe provinciae legiones et auxilia conscripsit super exercitum veterem unius legionis duarumque alarum et cohortium trium. Tacit. Hist. I, 16 dicit Galba: non ego cum una legione, sed sua (Neronis) immanitas cervicibus publicis depulerunt."

3) Tacit. Hist. V, 16: „principem Galbam sextae legionis auctoritate factum" idem eo confirmatur, quod Galba legioni, quam novam e plebe provinciae conscripsit, indidit numerum VII, legionis VI numero quasi principio usus cf. Borghesi oeuvr. IV p. 209 Grotef. Pauly IV p. 886.

4) cf. p. 30, adn. 2.

5) B. Jahrbb. XXXVI p. 130.

6) et in Lusitania tendere non solebant cf. Jung Zeitschr. für österr. Gymnas. 1874 p. 681 adn. 2.

Digitized by Google

Otho, praeses provinciae Lusitaniae, qui continuo et studiosissime Galbae partes arripuit,[1]) legionem habuisset, eam et ipsam in Galbae exercitu numerari oportuit. Itaque in eo, quod omnes fere viri docti statuerunt, videlicet legionem X geminam a. 821/68, et si Josephi testimonium certum est, iam a. 819/66 non in Hispania fuisse, acquiescendum esse videtur.

b. Qua vero in provincia legio eo tempore tetenderit vel quam in expeditionem missa fuerit, alii viri docti alio modo expedire student: et Grotefendius[2]) quidem putat, legionem a Nerone esse excitam, ut expeditioni contra Albanos suscipiendae interesset, eamque, cum iam a. 819/66 in itinere fuisset, a Josepho certae alicui provinciae attribui non potuisse. Quae Ritterus l. l. contra disputavit, a. 822/69 vexilla legionum Illyricarum, Germanicarum, Britannicarum a Nerone Romam vocata atque ex parte iam Alexandream traiecta memorari, nihil autem de Hispanicis dici, nedum de tota legione inde excita, vera haud dubie sunt, sed cum nobis tradita sint non ea, quae a. 821/68 aut 820/67 omnia Nero ad expeditionem praeparavit, sed ea, quae a. 822/69 nondum in pristinum statum redierunt, nihil valent. — Alio modo Pfitznerus p. 30, 35, 135 nodum expedire conatus est, qui, cum Josepho teste[3]) a. 819/66 octo legiones in Germaniis fuerint

---

1) Suet. Otho c. 4. — nihil ad Ritteri sententiam fulciendam valet, quod titulum Wilm. 1617 = XI 375 procuratori Lusitaniae speculatores X dedicant: hi enim legionis quidem fuisse videntur, sed non eius, quae in Lusitania erat (numerus haud dubie apponi debuit, cum antea nondum memoratus esset, et qua ratione procurator cum speculatoribus coniunctus fuerit, non patet), immo legionis XIV g. m. v.: speculatores tribuno suo, sub quo militaverant, cum ex militia ad munera civilia transferretur, hoc monumentum „h. c.“ in eius patria posuerunt. Itaque Mommsenus errare videtur, qui ad III 4452 adnotat: titulum Henz. 6767 procuratori Lusitaniae dedicant speculatores X, nempe legionis eo tempore in ea provincia castra habentis.“ Nihil etiam valet quod trib. mil. leg. X g. postea sub Vespasiano procurator Lusitaniae fuit (n. 16) cf. trib. mil. leg. VI victricis subproc. prov. Lusit. Allmer inscr. de Vienne I p. 370 n. 91 aliaque.

2) Pauly IV p. 890; eum secuti sunt Stille hist. legg. p. 82 Allmer Inscr. de Vienne I p. 525, Aschb. leg. X g. p. 247 addens: „oder um an Stelle der in den Orient gezogenen Truppen in Jllyricum die Vertheidigung der Donaugrenze zu übernehmen“ — idem: leg. I et II ad. p. 294 putat legiones IIII Maced. et X gem. a Claudio ex Hispania avocatas esse et p. 295 leg. X g. sub Neronis mortem una cum XIIII in Delmatia fuisse. Boissev. p. 21 rem in medio relinquit.

3) b. Iud. II. 16, 4. 44: *πόσῳ μᾶλλον Ἕλλησιν, οἳ τῶν ἐφ᾽ἥλιον πάντων εὐγε-*

Digitized by Google

[ubi secundum Pf. septem tendebant: I, V, XVI in Germ. inf. IIII, XIII, XXI, XXII in sup.], in Hispania autem eodem teste una [ubi antea duae fuerant], has difficultates ita tollit, ut legionem X, quae in Hispania esse non poterat, in vicem legionis IIII Scythicae in Syriam profectae a. 811/58 in Germaniam translatam, a. 819/66 in Germania inferiore quartam fuisse censeat. Quae sententia, quamquam per se nihil habet, quo offendamur, praesertim cum Germaniis saepissime legiones Hispanicae subvenerint, eoque etiam commendatur quod eam probantes non cogimur, ut legionis, ubicumque per complures annos morabatur, nusquam vestigia superesse concedamus, sed, cum legio postea in Germania inferiore tetenderit, partem monumentorum iam priori tempori (aa. 58—68) attribuere liceat, tamen non accipienda esse videtur: nam id, quo Pf. nisus hanc argumentationem instituit, nempe in Germania inferiore tum tres legiones fuisse, rectum esse non posse fusius expositum est in appendice II §§ 1 et 2. „At licet in Germania inferiore quattuor legiones fuerint, si provinciam superiorem tum a tribus occupatam esse legionibus censes,[1])

νείᾳ προέχειν δοκοῦντες, καὶ τοσαύτην νεμόμενοι χώραν ἐξ Ῥωμαίων ἐπείκουσι ῥάβδοις; τοσαύταις δὲ καὶ Μακεδόνες, ... Τί δὲ αἱ πεντακόσιαι τῆς Ἀσίας πόλεις; οὐχὶ δίχα φρουρᾶς ἕνα προσκυνοῦσιν ἡγεμόνα καὶ τὰς ὑπατικὰς ῥάβδους; Τί δεῖ λέγειν Ἠνιόχους τε καὶ Κόλχους καὶ τὸ τῶν Ταύρων φῦλον Βοσπορανούς τε καὶ τὰ περίοικα τοῦ Πόντου καὶ τῆς Μαιώτιδος ἔθνη, παρ' οἷς πρὶν μὲν οὐδὲ οἰκεῖος ἐγινώσκετο δεσπότης, νῦν δὲ τρισχιλίοις ὁπλίταις ὑποτάσσεται καὶ τεσσαράκοντα νῆες μακραὶ . . . . εἰρηνεύουσι θάλασσαν; πόσα Βιθυνία καὶ Καππαδοκία καὶ τὸ Παμφύλων ἔθνος, Λύκιόι τε καὶ Κίλικες χωρὶς ὅπλων φορολογοῦνται; τί δὲ Θρᾶκες, οἱ πέντε μὲν εὖρος, ἑπτὰ δὲ μῆκος ἡμερῶν χώραν διειληφότες, οὐχὶ δισχιλίοις Ῥωμαίων ὑπακοίουσι φρουροῖς; οἱ δὲ ἀπὸ τούτων Ἰλλυριοὶ τὴν μέχρι Δαλματίας ἀποτεμνομένην Ἴστρῳ κατοικοῦντες, οὐ δυσὶ μόνοις τάγμασιν ὑπείκουσι, μεθ' ὧν αὐτοὶ τὰς Δακῶν ἀνακόπτουσιν ὁρμάς; οἱ δὲ τοσαυτάκις πρὸς ἐλευθερίαν ἀναχαιτίσαντες Δαλμάται νῦν οὐχ ἑφ' ἑνὶ τάγματι Ῥωμαίων ἡσυχίαν ἄγουσιν; . . . , . Γαλάται . . . . ἱπο χιλίοις καὶ διακοσίοις στρατιώταις δουλεύουσι . . . . . οὐ δὲ Ἴβηρσιν ἱ γεωργούμενος χρυσὸς εἰς τὴν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας πόλεμον ἐξήρκεσεν, οὐδὲ τὸ τοσοῦτον ἀπὸ Ῥωμαίων γῆς καὶ θαλάσσης διάστημα, φῦλά τε Λυσιτανῶν καὶ Καντάβρων ἀρειμάνια . . . . . φρουρὰ δὲ ἤρκεσε τῶν οὕτω δυσμάχων καὶ τοσοῖτον ἀπῳκισμένων ἕν τάγμα . . . . Γερμανοὶ καὶ Ῥωμαίων ὀκτὼ τόγμασι δαμαζόμενοι . . . (Βρετανίαν) τέσσαρα τάγματα τὴν τοσαίτην νῆσον διαφυλάττει, ... Africae una tantum legio praesidet *. . . . . δύο δ' ἐγκαθήμενα τῇ πόλει (Ἀλεξανδρείᾳ) τάγματα τὴν βαθεῖαν Αἴγυπτον ἅμα τῇ Μακεδόνων εἰγενείᾳ χαλινοῖ.*

1) cf. append. II p. 86—92. — quominus ceteroqui Pfitzneri argumentatione usi legionem X in superiore Germania tetendisse censeamus praeter alia

Digitized by Google

legione XIII iam pridem in Pannoniam remota, et ipse septem legiones Germaniis tribuendo Josephi octo legionibus aperte repugnare videris."

c. Sed iam perscrutemur, quid de hoc Josephi testimonio omnino iudicandum esse videatur. Quod si in rerum narratione proferretur a Josepho, magnae haud dubie esset audaciae atque temeritatis, si quis eius fidem in dubitationem vocare conaretur: sed de oratione agitur, quae tota eam rationem sequitur, ut quibus spatiis provinciae diremptae, quo splendore amplitudineque urbes abundantes, quibus viribus ferociaque gentes praeditae a quantulis copiis in Romanorum dicione retineantur, ostendat; et in oratione ea, quae exponuntur, qua fide velint digna esse et qua videantur esse digna, ad quod tempus res statusque, si quae memorantur, referenda sint alia similia, non licet solum quaerere, sed etiam necesse esse videtur. Omnes sane adhuc viri docti res, quae describuntur, esse eas, quae erant ipso anno, quin etiam ipso mense, quo hanc orationem habuisse Agrippam Josephus fingit, hoc est vere anni 819/66, censuerunt, tam severe, ut legiones quae uno duobusve mensibus post aut conscriberentur[1])aut stativa mutarent, nondum memorari aut in veteribus castris enumerari putarent. Sed primum quaeritur, num tanta diligentia adhibita Josephus in quaque re temporis ordinem observare voluerit, deinde, num pro fonte, ex quo plurima sumpsit, et pro ratione, qua in hac tota oratione componenda usus est, eum observare potuerit. Pfitznerus[2]) quidem, qui ipse concedit, auctorem laterculum, qui, quae legiones illo tempore essent, quot in quaque provincia tenderent, exponeret, ne voluisse quidem conscribere, quin recte iudicet, vix dubium esse potest: nam illud si voluisset Josephus, primum debuit legiones, quae tum in oriente tendebant[3]) non omittere,

---

gravissima impedit, quod ibi nulla exstant monumenta legionis: nam J. Helv. 85 = Allmer Inscr. de Vienne I p. 377 n. 94 lapis post „X" ruptus potuit aliam legionem exhibere, et tegula (bullet. ép. de la Gaule IV p. 22) inscripta DECVMA valde vereor, ut sit legionaria.

1) Pf. p. 30: de XV primigenia; sed vide append. II p. 8, sqq.

2) p. 30 et p. 39: „abgesehen davon, dass Agrippa gar nicht beabsichtigte, ein damaliges Legionsverzeichniss zu geben."

3) erant III Gall. IV Scyth. (V Mac.) VI ferr. (X fret.) XII fulm. XV Apoll. cf. Pf. p, 35 et passim.

Digitized by Google

deinde provincias permultas, quibus legiones non praesidebant, non addere:[1]) sed omisit illas, has addidit. Accedit, quod eum, qui eiusmodi laterculum componere sibi proposuit, ab erroribus vel minimis se abstenturum esse optimo iure exspectare licet: at illo mense, quo oratio habita est, in Aegypto non duae erant legiones, sed quattuor[2]); neque probabile est legionem, cum provinciae Pannonia Moesiaque omnino fere legionibus nudatae essent, totam partim [duo milia] in Thracia tetendisse partim [tria milia] usque ad Bosphorum Ponticum stationes extendisse?[3]) — Deinde complures viri docti[4]) coniecerunt, omnia, quae de provinciarum magnitudine, vectigalium numeris, hominum multitudine, legionum stativis exposuit hac oratione Josephus, desumpta esse ex tabulis publicis, quae essent simillimae breviario illi totius imperii, quod divus Augustus reliquit (Suet. v. Octav. 101. Tacit. Annal. I, 11). Quam sententiam ut reiciendam esse censeamus, tantum abest, ut permultis rebus quam maxime commendari probarique concedamus: sed breviarium, quo usus est Josephus, descripsisse vires opesque imperii, quae erant ipso anno 811/66 ineunte, plane negandum esse videtur: nam cum ab omni probabilitate abhorret, singulis annis talia, quae totum imperii statum comprehenderent,

---

1) ut Asiam, Achaiam, Macedoniam aliasque.

2) cf. Pf. p. 38 et 40; ad legiones III Cyr. et XXII Deiot. accesserant V Mac. et X fret. Joseph. b. Jud. III 4, 2 et 1, 3.

3) tota, de qua agimus, res ex eo pendet atque in eo vertitur, ut illos τρισχιλίους ὁπλίτας et δισχιλίους Ῥωμαίων φρουράς legionarios fuisse concedatur: id quod mihi quidem persuasum est: primum enim „ὁπλῖται“ nihil aliud nisi legionarios significare potest, deinde a Josepho non enumerantur, nisi copiae civium Romanorum, auxilia plane omittuntur [e. g. quamvis certum sit, in Cappadocia eo tempore tetendisse cohortes alasque (Tacit. Ann. XIII 8, XV 7) tamen J. dicit „Καππαδοκία..... χωρὶς ὅπλων φορολογεῖται“; idem fere valet de Lycia Pamphylia, et Raetia Noricumque, quae summas copias (Hist. III 5, IV 70; I 68; II 58) habebant, ne memorantur quidem]. Denique constat Thraciam, si praesidio opus erat, accepisse legionarios (cf. infra app. II § 2; II 3272 Eph. V p. 85 n. 229); idem de regno Bosphorano verisimile (III 782 saeculi secundi). Itaque censeo neque Jung: Zeitschr. f. oest. Gym. 1874 p. 690 recte iudicasse qui illa duo milia unam alam et tris cohortes fuisse putat neque Friedl. Sittengesch. I[5] p. 55 qui tria milia fuisse classiarios arbitratur. Josepho igitur viginti legiones (praeter omissas septem Syriacas) enumerante, sententia Pf. de leg. XV prim. evertitur cf. app. II § 1.

4) Friedlaender: Ind. lection. Regimontens. aestat. 1873: „de fonte, quo Josephus b. J. II 16, 4 usus sit“; idem: Röm. Sittengesch. I[5] p. 55, Jung: Zeitschr. f. oesterr. Gym. 1874 XXV p. 671.

Digitized by Google

breviaria composita esse, tum eo ipso anno [819/66][1]), quo reditus imperii vectigaliaque perturbata erant, quo omnes fere exercitus expeditionibus nuper ad finem perductis et aliis iisque maioribus a principe praeparatis iactabantur commovebanturque, constans atque firmus quidam status ne potuit quidem depingi: immo statuendum illud breviarium fuisse temporis Vespasiani [inter a. 823/70 et a. 828/75], quo post totam reipublicae formam, quae bellis civilibus, quin plane dissolveretur atque dilaberetur, haud multum afuerat, denuo constitutam, ut res nuper firmatae, quae per aliquantum temporis duraturae erant, commentariis comprehenderentur, fieri non solum potuit, sed etiam prorsus necesse esse videbatur. Porro Josephus quin eiusmodi tabulas non potuerit adhibere nisi post bellum Judaicum perfectum[2]), postquam Titum Caesarem imperatorem comitatus Romam venit, dubitare vix licet; sed vetere aliqua, si omnino qua erat, tabula eum usum esse, ob ea, quae supra p. 32 sq. disputata sunt, haud verisimile est. — At si tabulam Vespasiani aetatis, scilicet anni 823/70 usque ad a. 828/75, quo anno libros de bello Judaico edidit, exscripsit, quo modo explicatur, quod huius aetatis statum militarem qui aliunde in universum nobis notus est, cum iis, quae Josephus dicit, non plane congruit?[3]) Nec potuit nec voluit rerum scriptor

---

1) quod. Jung l. l. dicit: „aus den Angaben über die Legionsbesatzungen, die sich kontrolliren lassen, ersehen wir, dass wirklich die Lage der Dinge im Jahre 66 es ist, welche geschildert wird", verum non est: nam quae certae sunt, quattuor legiones Britanniae, una Africae, duae Aegypti conveniunt etiam annis 823/70 et sqq., octo Germaniarum rebus certissimis aliunde sumptis plane repugnant. Ceteri exercitus quot legionum fuerint, non ita certum esse potius putandum est (cf. app. II § 2).

2) hoc recte iam posuerunt Friedl. l. l. et Jung l. l. etiam quae de Dacorum incursionibus a legionibus Illyricis repellendis Josephus l. l. dicit, non quadrant nisi ad res anni demum 823/70, quo Daci legionum stativa expugnabant (Tacit. Hist. III 46).

3) ea aetate distributae erant legiones hoc modo: in Brittannia quattuor II Aug. II adi. VIIII, XX], in Germaniis octo [VI, X, XXI, XXII in inf. I, VIII, XI, XIIII in sup.] in Hispania una [VII gem.], in Africa una [III Aug.], in Aegypto duae [III Cyr. XXII Dei.], in Judaea una [X Fret.], in Syria quattuor [III, IIII, VI, XVI], in Cappadocia una [XII], in Moesia quattuor [I Ital. V Al. V. Maced. VII Cl.], in Pannonia tres [IIII Flav. XIII, XV]. — Itaque in omnibus provinciis tendebant tot legiones, quot cuique Josephus attribuit; solis in provinciis Danuvianis numeri diversi sunt. — Praeterea ut exercitum Germanicum ut a. 828/75, sic iam a. 819/66 octo habuisse legiones putaret, Josephus facile adduci potuit eo, quod a. 822/69 revera octo legiones cum Vitellio

Digitized by Google

anachronismum, si hoc verbo uti licet, nimium apertum in se admittere: legionum igitur, quas a. 828/75 esse vidit in tabula sua, undetriginta, cum aetate bellorum civilium sex conditae[1]), quattuor veterum exauctoratae essent[2]), necesse erat a. 819/66 viginti septem legiones fuisse, quarum cum septem a. 819/66 in Syria tenderent[3]), quas J. ipse praesens cognoverat, ceteris provinciis restabant viginti. Deinde cum J. ipse in Judaea versatus comperisset, legiones, quae ad bella gerenda ex occidente in orientem translatae erant, ad unam omnes sumptas esse ex Illyrico[4]), in his provinciis numerum legionum, quem in tabula inveniebat, utique maiorem esse intellegens quam ut numero, qui fuerat a. 819/66, conveniret, omnibus ceteris provinciis tot legiones, quot tabula ostendebat, attribuit[5]); quo facto reliquas habuit quattuor, quae per Illyricanas provincias dispertiendae erant: has quidem, quandoquidem ab indice suo discesserat, sua voluntate distribuit, unam collocans in Delmatia[6]), duo legionariorum milia in Thracia, tria milia in regno Bosphorano, duas legiones in ceteris provinciis ad Danuuium sitis[7]).

Haec si recte disputata sunt[8]), hic Josephi locus cum de rebus militaribus, quae vere erant a. 819/66, plane nihil dicat, de iis autem quae a. 828/75 erant, pauca illa affirmet, quae iam nota erant, Britanniam habuisse quattuor, Germanias octo, Hispaniam et Africam singulas,

---

in Italiam profectae sunt, sed octava (I Italica), Luguduni tendens per se non cohaesit cum exercitu Germanico (cf. Tacit. Hist. I 59).

1) I Italica a Nerone, VII gem. I adi. [?] a Galba, II adi. IIII Flavia, XVI Flavia a Vespasiano.

2) I, IIII Mac. XV primig. XVI cf. append. I initio.

3) cf. p. 32.

4) IIII Scythica ex Moesia cf. app. II § 2, V Macedonica ex Moesia, XV Apollinaris ex Pannonia Joseph. b. Jud. VII 5, 3.

5) cf. p. 34 adn. 3.

6) ex qua Vespasianus legionaria castra removerat.

7) Intendas quaeso animum, quam generatim atque ambigue Josephus de Illyrico dicat non diserte nominans Pannoniam et Moesiam: nimirum quia in incerto habuit, quomodo legiones inter eas divideret; alioqui semper singulas provincias enumerat.

8) etiam ii, qui omnia, quae supra proposita sunt, reiciunt, coguntur concedere Josephum, si res a. 819/66 describere voluit, gravissimi erroris esse arguendum, nempe de Germaniis, in quibus quin a. 66 septem, non octo legiones fuerint, dubium esse non potest; et qui unius erroris convictus est, complurium aliorum in suspicionen certe vocatur; itaque hoc quoque modo de una Hispaniae legione non constat.

Digitized by Google

Aegyptum duas legiones, ab iis, qui in historiam legionum inquirere volunt, in posterum plane neglegendus est.

Sed ut ad legionem X geminam redeamus, licet desit testimonium, quo probetur, eam a. 819/66 in Hispania non fuisse, tamen, ubi a. 821/68 fuerit legio, pro certo affirmari non potest et potius in medio est relinquendum.[1]) — Sed quemcumque ad exitum, spissa quae adhuc est, caligine discussa haec quaestio fortasse aliquando adducetur, legio X iam a Galba a. 821/68 in provinciam, in qua iam vere a. 822/69 tendebat, remissa sit necesse est: aestivo tempore a Cluvio Rufo, legato Hispaniae citerioris, ad oram maritimam admota est, suppressura Lucceium Albinum, Mauretaniarum procuratorem, qui Othonis partium studiosus maximis copiis Hispaniis, quae Vitellium imperatorem agnoverant, bellum illaturus erat; sed priusquam ad proelium ventum est, Albinus a suis interfectus exercitusque cum provinciis ad Vitellii partes trangressus est (cf. Tacit. Hist. II 58, et 59). Deinde legio etiam in Hispania erat post exercitum Vitellii pugna Cremonensi contusum, et cum ceteris, quae tum in Hispania erant, legionibus, I adiutrice et VI victrice, Vespasianum imperatorem comprobavit (Tacit. Hist. III 44).

---

1) Fortasse ad Grotefendii coniecturam (cf. p. 30) cui, quantum video, nihil obstat, refugiendum est: nam cum propter bellum Judaicum duae legiones V Mac. X fret. quas Nero expeditioni suscipiendae destinaverat ex Aegypto avocatae essent (Joseph b. Jud. III 4. 2), princeps in earum locum subrogavit legionem XIIII Britannicam [hoc significare verba Taciti Hist. II 11: „addiderat gloriam Nero eligendi ut potissimos“, Pf. recte intellexit]; sed in duarum unam? Itaque altera in illarum locum substituta haud scio an fuerit legio X gemina; atque a Galba rerum potito in provinciam suam remissa est.

Digitized by Google

CAPUT III.

De legione $\overline{X}$ gemina in Germania.

§ 1 Quando legio in Germaniam translata sit et quamdiu ibi tetenderit quaeritur.

I. Anno 822/69 cum omne paene robur legionum Germanicarum paulatim in Italiam profectum esset, ut Vitellio imperatori suo summam rerum deferret delatamque servaret, Rheni ripae et Germaniae inferior et superior a Batavis, Gallis, Treveris aliis gentibus coniunctis plane occupatae sunt, atque legiones, quidquid earum remanserat, „nomen magis exercitus quam robur" (Tacit. Hist. IV 15), hibernis omnibus expugnatis concrematisque partim occisae sunt partim pro Galliarum imperio sacramento se adigere coactae. Sed simulatque Vitellius celerrime ab exercitibus Illyricis duce Antonio Primo ad Cremonam victus est, Licinius Mucianus et, qui tum unus ex domo Flaviorum Romae aderat, Domitianus nihil antiquius habebant, quam ut excitarent legiones quam plurimas[1]) et copias quam maximas ad peragendum bellum, quo maiora pericula pauca Romanorum dominationi intulerunt, nullum per omnium saeculorum memoriam graviore ignominia nomen Romanum affecit.

---

1) Tacit. Hist. IV 68: „legiones victrices uim xj unj (hoc est in codice; interpretantur Momms. Herm. XIX p. 440 adn. 1: VIII, XI, XIII, Pf. p. 66 sq. cui Schiller R. K. p. 504 adn. 5 assentitur, VII Cl. XI. VIII; editiones praebent XI et VIII) „Vitellianarum unaetvicensima, e recens conscriptis secunda Poeninis Cottianisque Alpibus pars monte Graio traducuntur; quarta decuma ex Britannia, sexta ac pma (Savilius coniecit „sexta ac decuma", propter Hist. II 54, III 44, V 19, quem omnes fere editores secuti sunt) ex Hispania accitae." — Si de re tam incerta iudicium ferre licet, Mommseni coniectura potius approbanda est, et litteris traditis satis conveniens et numerorum ordini sola accommodata. Tres legiones, non duas, significari illo uim xj unj persuasum habeo.

Digitized by Google

Quae vero legiones initio a. 823/70 aliae ex aliis provinciis missae sint in Germaniam, enarrat nobis Tacitus Hist. IV 64, quo loco cum maxime dolendum sit, quod numeri legionum in codicibus tam male traditi sunt, ut alii viri docti alias significari coniecerint, decumam quoque nostram memorari post Savilium omnes fere statuerunt atque rem certissimam esse duxerunt.[1]) Sed hanc sententiam repudiantes, ut potius scribendum esse „sexta ac prima" censeamus,[2]) commovemur eo, quo maxime huiusmodi quaestiones decernendae esse videntur, scilicet codicis litteris, quae ut a compendio quod „decima" significare solet [dcma][3]) plane abhorrent, ita optime conveniunt ei, quod prima [pma], praesertim cum nihil, quantum video, quominus „prima" legamus, obstet[4]): nam quod Tacitus legionem I in Germaniam advenisse, quamvis certum sit eam iam a. 823/70 ibi militasse,[5]) non memorat, ex eo non illud colligere licet, legionem I non una cum VI, sed postea demum ex Hispania arcessitam esse, verum non est dubitandum, quin Tacitus de legionibus, quae in Germania superiore militabant collocabanturque, in ea libri quinti parte, quae periit, egerit: neque enim, quando legiones VIII et XI, quas continuo excitas esse constat, ad belli locum pervenerint aut quae gesserint, comperimus. Itaque legionem X, etsi codicis scriptura non mutata hoc loco expellenda esse videtur,[6]) nihilominus anno 823/70 in Germaniam translatam esse cum appareat

1) cf. p. 37 adn. 1.

2) Aschb. leg. $\overline{\text{I}}$ et $\overline{\text{II}}$ adi. p. 317 adn. 3, Boissev. p. 18 et 21, Momms. Herm. XIX p. 440.

3) Itaque Pf. p. 67 putans litteras p et d in codice mutatas esse falsus est: nam „dma" non significat „decima".

4) Sane concedendum est, Tacitum legiones, si quas enumerat particula copulativa coniunctas vel 'ασυνδέτως positas, plerumque minore numero praeditas maiori numero anteponere: Annal. I, 23, 31, 37, 39, 42, 45, 70, XV, 6, 26; Hist. I, 18, 55, 56, III, 14, 29, IV, 35, V, 1, 14 [si auctor alia dicendi ratione „primani" utitur, usus non ita certus esse videtur: minor numerus maiori praecedit Annal. I 37, XIV 37, Hist. I 55, III 13, 27, IV 37; maior minori Annal. I 31, Hist. V 1]. Usus non observatur, ubi legiones secundum agminis vel aciei ordinem enumerantur: Annal. I 51, 64, Hist. III 22, II 100 (III 18, 22) 27; euphonia auctorem commovisse videtur Hist. II 85, 86, III 27 (Annal. XV 26, Hist. III 44); contra, cur Tacitus Hist. II 67, „undecuma ac septima" scripserit, causam non intellego.

5) hoc constat etiamsi tegulae ad Mirebeau repertae Hermes XIX p. 439, I, II ad annum 823/70 non referendae esse videntur cf. infra app. I § 2, II.

6) „sexta ac decuma" legunt Aschb. leg. X gem. p. 249, Stille hist. legg. p. 82, — Schiller R. K. I p. 504 adn. 5 dubitare videtur, qui legionem quidem X memorat, I autem et ipsam uncis inclusam addit. De Pfitznero cf. supra adn. 3.

Digitized by Google

ex Tacito Hist. V 19 enarrante: „Cerialis (post pugnam apud Vetera commissam) exercitum decuma ex Hispania legio supplevit“, quo loco numerus certissimus est neque ullo modo impugnandus, statuimus legionem X geminam sub finem demum anni 823/70 in Germaniam ex Hispania missam et quemadmodum omnes legiones,[1]) quae sub Ceriale militabant, provinciae inferiori esse attributam.

II. Monumentorum, quae haud ita rara legio reliquit in provincia, tria, quae longe gravissima permultum nos adiuvent in tempore, usque ad quod legio in Germania permansit, recte definiendo, iam hoc loco pertractanda esse videntur: arae tres[2]) a vexillationibus complurium legionum Herculi Saxano et Iovi optimo maximo vel illi soli dedicatae, in lapicidinis vallis, quae est vicina oppido Brohl, duae, tertia ad ipsum oppidum Antunnacum [Andernach] repertae. Quarum singulas non ita magno temporis spatio interiecto positas esse cum intellegatur ex eo, quod in omnibus idem vir, qui quo officio functus sit, interim non quaeratur, Q. Acutius, et idem centurio legionis VI victricis, quo curante sacella illa confecta sunt, Julius Cossutus vel Cossutianus, nominantur, omnes arae intra quinque fere annos dedicatae videntur. Deinde tempus quo omnes positae sunt, primum eo definitur, quod legionem I Minerviam, commemoratam in n. 58, a Domitiano esse constitutam traditum est[3]), legionem autem VI victricem ab Hadriano circa a. 873/120 in Britanniam abductam esse constat;[4]) deinde quod, si supra recte disputatum est, legiones I. VI. X. XXII. a. 842/89 cognomine „piarum fidelium“, quod iis in titulis

1) de his rebus cf. appendic. I § 1, I. — legionem sub Vespasiano in Germania fuisse demonstrat titulus n. 55.

2) sunt tituli n. 56, 57, 58. Lapicidinae Brohlenses non nisi inde a Nerone usque ad finem Traiani a militibus exercitae esse videntur: nam omnes tituli, quorum quidem tempus aliquatenus definiri potest, huius aetatis sunt. — de omnibus monumentis in valle Br. repertis conferendus est Freudenberg: „Hercules Saxanus“. Winckelmannsprogramm 1862.

3) Dio LV, 24 cf. appendic. I § 2, I.

4) haec in omnibus tribus occurrit; legionis VI in Britanniam transitum disertis verbis memorat titulus VI 1549, cf. II 4510 et Henz. 6498 = Wilm 1179.

5) in ara n. 57, cuius litterae optime conservatae sunt, et legio VI et X et classis Germanica „pia fidelis“ cognominantur; idem valet de ara n. 56: nam quod classis cognomine carere videtur, nihil movet: cum dextrum tituli latus in quo hoc exstare oportuit, laesum sit; ex eo quod leg. XXII primig. cognominatur „pia“, sequitur, eam tum iam piam fidelem appellatam fuisse cf. indic. I B. adn. 3, et Momms. Korrbl. d.W. Zeitschr. II p. 6 et 62, denique in n. 58 litterae sunt incertissimae et paucae tantum possunt investigari: at legionem VI in fine P.F.

Digitized by Google

iam additur[5]), honoratae sunt; denique quod littera D, quam si quidem significat Domitiana (cf. supra p. 15 sq.), vivo Domitiano in monumentis in provincia positis semper esse adiunctam consentaneum est, non iam usurpatur, ita, ut has aras post Domitiani mortem dedicatas esse cum probabilitate quadam conicere liceat. Quae cum ita sint aetati, iam anno 849/96 et initiis Hadriani inclusae optime convenit coniectura Grotefendii putantis hominem, qui nominatur in titulis nostris, Q. Acutium, esse eundem atque consulem designatum a. 853/100 Acutium Nervam (Plin. ep. II. 12), qui eo ipso anno consul fuit, eumque consulatu perfunctum Germaniae inferiori praepositum esse.[1]) — At enim neque aliunde constat Acutium Nervam neque in titulo aperte dicitur Q. Acutium munere legati Augusti pro praetore Germaniae inferioris functum esse; immo hic potest praepositus vel praefectus aliquis putari,[2]) quod si licere concedere coactus eris, illam Grotefendii coniecturam iam relinquere debebis. Sed respiciamus, quaeso, ubicumque formula, quae hic quoque occurrit, „qui“ vel „quae sunt sub . . . . .“ usurpatur, semper, [h. e. ea aetate, cuius solius hic ratio habenda est, saeculi primi et secundi medii], si quidem provinciae praeses significari vult, omitti verba „legat. Aug. pr. pr.:“ cuius locupletissima praestant exempla tabulae[3]) honestae missionis, in quibus,

appellari constare videtur; pone leg. X G. praebetur „P“, pone leg. I M. „F“; si revera singularum tantum litterarum spatium pone X G. et I M. exstat, potius de ligatura cogitandum est.

1) secuti eum sunt: Freudenberg Herc. Sax. p. 23, qui quod statuit Acutium potuisse ante consulatum provinciam regere iam correxit in B. Jahrbb. LVII p. 79, J. Klein fasti consul. ad a. 853/100, Mommsen Ind. Plinian. in editione epistolarum Keiliana, et R. G. V p. 133 adn. 1. — Roulez: Mém. de l'acad. de Bruxelles XLI, 1875 Acutium omittit.

2) Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. der Rheinl. p. 49 sq. contendit eum fuisse praepositum vexillationibus exercitus inferioris et tempori Domitiani attribuendum; sed in n. 56 vexillarii non memorantur.

3) a. 60 (dipl. II) a. 74 (dipl. IX) a. 80 (dipl. XI) a. 82 (dipl. LXVIII) a. 84 (dipl. LXXIV) a. 85 (dipl. XII) a. 86 (dipl. XIV) a. 90 (dipl. LXXIX) a. 93 (dipl. XVI) a. 98 (dipl. XIX et LXIX) a. 99 (dipl. XX) a. 103 (dipl XXI) a. 105 (dipl. XXII) a. 110 (dipl. XXV) a. 113 (dipl. XXVI) a. 124 (dipl. XXX) a. 129 (dipl. XXXIII) a. 134 (dipl. XXXIV) a. 138 (dipl. XXXVI) a. 146 (dipl. LXXV) in quibus omissum est: „legato Augusti“; a. 88 (dipl. LXIII) a. 96 (dipl. XVIII) a. 108 (dipl. XXIV) in quibus omissum „procuratore“; a. 86 (dipl. LXXVIII) in quo omissum „praefecto“ (Aegypti); luculentissimum est a. 86 (dipl. XIII): „classicis, qui militabant in Aegypto sub C. Septimio Vegeto et Claudio Clemente praef. classis“ ubi „praesidis“ vocem adicere supervacaneum, necesse autem „praefecti classis“ visum est. — Medio demum saeculo secundo

Digitized by Google

cohortibus alisque, quarum veterani honesta missione missi sunt, enumeratis utique sequitur „quae sunt“ e. g. „in Pannonia sub L. Funisulano Vettoniano“, nusquam addito officio „legato Augusti pr. pr.“, vel si de provincia minore agitur, „procuratore“. Porro consideremus provinciae, in qua quaeque copiae tendebant, nomine, quod in illis tabulis addi solere consentanenm est, sine ullo erroris timore carere posse nostros titulos, qui, si non in ipsa provincia[1]), certe iuxta eius fines positi erant, ubi qui exercitus, qui legatus significaretur, cum nemo ignoraret, incertum esse non potuit. Itaque ut id, quod non diserte pronuntiatur, quo officio Q. Acutius functus sit, impediat, quominus eum praesidem fuisse putemus, tantum abest, ut, si non fuisset legatus Augusti, utique praepositi vel tribuni vel quocumque opus erat, verbum omitti[2]) non debuisse censeamus. Grotefendii igitur coniecturam, cui non solum nihil obstat, sed etiam ratio quaedam favet, si probamus, restat ut quaeramus, quo tempore hic Q. Acutius, cui iam licet addere cognomen Nerva, legatus Germaniae inferioris fuisse videatur, h. e. quantum temporis spatium inter consulatum et legationem Germanicam hac maxime aetate solitum sit interesse. Et cum sub Flaviis et secundo saeculo omnes legati, de quorum cursu honorum certiora cognosci possunt, post consulatum aut cura alvei Tiberis vel operum publicorum vel alio simili officio consulari, quod trium fere annorum erat, perfuncti, aut nullo munere interiecto continuo provinciam introierint[3]), non temerius, quam providentius

---

usus mutatus est, et semper, dumtaxat in tabula integra, officium additur: a. 154 (dipl. XXXIX) „legato“, a. 145/60 (dipl. XLII, XLIII) „leg.“, a. 167 (dipl. XLVI) „leg.“; a. 178 (dipl. LXXI) „leg.“; a. 166 (dipl. LXI) „pr[o c]“. — tabulae classium Misenensis et Ravennatis, in quibus idem usus occurrit, potius neglegendae sunt.

1) cf. infra p. 44 sq.

2) itaque in titulo B. Jahrbb. IX p. 140 = Z. f. Alterth. 1837 p. 47, saeculi primi, quia Pompeius Secundus non erat praeses provinciae, exstat: „qui sunt sub L. Pompeio Secundo [leg.?] leg. XXI.“

3) legatos Germaniae inferioris doctissime tractavit Roulez: Mém. de l'acad. de Bruxelles XLI 1875 p. 21—49, et nuper addimenta sagacissime adiecit Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. p. 39—60; ad nostram quaestionem disceptandam etiam legati prov. sup. adhiberi possunt, cum alterius legationis dignitas alteri semper fere par fuisse videatur. Petillius Cerealis cos. a. 70 propter bellum eodem anno iam Germ. inf. ingressus est; de consulatu Pinarii Clementis leg. G. sup. a. 74 et Javoleni Prisci leg. G. sup. a. 90 non constat. Antonius Saturninus cos. a. 83 (?) leg. G. sup. ante a. 88 [fortasse inde ab a. 85 (Asbach W. Z. III p. 8)] Ulpius Traianus cos. a. 91 leg. G. sup. a. 97, Platorius Nepos cos. a. 119 leg. G. inf.

Digitized by Google

iudicasse videbimur, si Acutium Nervam consulem a. 853/100, vix post a. 857/104, fortasse iam a. 854/101 Germaniae inferiori praepositum esse censemus: itaque, cum legationes Germanicae triennio fere contineantur, arae illae aut annis 854/101—857/104 aut annis 857/104—860/107 attribuendae esse videntur. Quod vero in aliis titulis aliis legionibus memoratis [VI, X in n. 56, VI, X, XXII in n. 57, I, VI, X in n. 58] exercitus Germaniae inferioris per eos annos, quibus tituli positi sunt, aliqua mutatus esse videtur[1]), huius rei causam quaerentibus ultro quasi se offerunt nobis bella Traiani Dacica; et cum priori bello ullam illarum legionum interfuisse ignoremus, certissime autem traditum habeamus, in posteriore legionem I Minerviam militasse (III 550 et Spart. v. Hadr. c. 3 § 6; VI 3584, II 2424) ex Germania arcessitam (Bramb. 405), verisimillimum est tres aras annis 854/104—857/107 attribuendas esse. Quod si statuimus, ordo, quo legiones (et arae) tempore sese exceperint, dubius esse non iam potest:[2]) ante bellum posterius Dacicum, antequam legio I Min. ex Germania proficisceretur, posita est ara n. 58; deinde ea profecta ara n. 57, postremo cum legio XXII primae successisset, n. 56. — Itaque intellegitur, legionem X geminam posteriore bello Dacico primo vel medio in Germania adhuc moratam esse.

---

ante a. 124 (cf. V 877, VII 660—63, dipl. XXX). Quamquam anni definiri non possunt, tamen ex cursu honorum efficitur, ut tribus fere annis post consulatum Germaniae praepositi sint hi: Lollius Urbicus inter a. 134 et 137 (n. 2), Popilius Carus cos. a. 148 (Wilm. 1186), Ti. Severus sub Pio (C. J. Gr. 4033, 4034) ignoti J. Helv. 179. III 2732; Marius Maximus sub Severo (VI 1450).

1) nam, cum in omnibus aris totus provinciae exercitus exhibeatur, altera legio alteri successerit, necesse est: aut legio prima duoetvicensimae aut vice versa. Hoc eo confirmatur, quod legionem XXII, quae a. 850/97 in provincia superiore tendebat (cf. infra app. I § 3), nisi exercitu inferiore utcumque imminuto, in provinciam inferiorem translatam esse non verisimile est.

2) nisi forte arbitramur, Acutium etiam post finem belli provinciae praefuisse: cum legionem I Minerviam in Germaniam rediisse constet (Bramb. 405, Eph. V p. 579 n. 1345), arae n. 56 et n. 57 per annos 105/107, n. 58 bello peracto a. 107 vel 108 dedicatae esse possunt. Quae sententia, quamquam non plane reicienda est, tamen non probabilis. — In temporis ordine, quo se excipiunt tituli, definiendo, maxime secutus sum disputationem sagacissimam Urlichsii B. Jahrbb. XXXVI p. 98—104, cui id solum deest, quod non demonstravit, aras non posse post bella Dacica dedicatas esse.

Digitized by Google

§ 2 De castris legionis $\overline{X}$ gem.

•I. De castris stativis, quae in Germania inferiore a. 821/68 et 822/69 fuerant[1]) legionum, Veteribus (legionum V et XV) Novesii (leg. XVI) Bonnae (leg. I), a Germanis concrematis (Tacit. Hist. IV, 60 et 61), a. 823/70, cum Romani Rheni ripas denuo occupare coepissent, restituta esse hiberna Novesii et Bonnae tradit Tacit. Hist. V, 22; Vetera praeterit silentio. Praeterea a. 823/70 memorantur alia castra ibique tendentes legiones: Batavodurum legionis II, Arenacum legionis X (Hist. V, 20). Hunc vero locum in regionibus ad septentriones spectantibus situm fuisse, haud ita procul Batavoduro,[2]) cuius ipsum nomen, ubi oppidum fuerit, satis dilucide declarat, quamquam Tacitus disertis verbis non significat, tamen cognosci potest ex ipsis rebus, quae tum acciderunt, quod Civilis, qui post pugnam ad Vetera commissam in insulam Batavorum trans Rhenum sese receperat, Romanos, qui eum persecuti erant, et ipsos iam ad Batavorum fines castra habentes subito adortus est. Hoc uero optime confirmatur eo, quod et in tabula Peutingeriana Arenatium et in itinerario Antonini (p.,256,$_3$; 369,$_5$) Harenatium, quod utrumque, quin idem sit atque Arenacum Taciti, vix dubium, memoratur distare X leug=XV m. p. Noviomago, XII leug (VI + V + I) =XVIII m. p. Veteribus; atque hoc tantum in controversia versatur, utrum haec castra fuerint eo loco, quo nunc est vicus, qui dicitur Rynderen, an eo, quo nunc oppidum, quod appellatur Cleve;[3]) sed mihi quidem Cleve causis aliquanto gravioribus commendari videtur. Sed paulo post praetorium legionis X Arenaco remotum, Noviomagum [Nijmwegen], unde legio II abducta erat[4]), translatum est: his in castris legionem per omne tempus, dum in Germania remanebat, fuisse luculentissime testantur monumenta: et tegulae, quae vel maximum mo-

1) testimonia apud Tacitum exstant haec: Vetera Hist. IV, 18, 21, 35; Novesium Hist. IV, 26, 62, 77; Bonna Hist. IV, 19, 25, 62, 70. Quae alia castra a Tacito memorantur, non sunt legionum, sed alarum cohortiumve: ut Asciburgium Hist. IV, 33; Gelduba IV, 35 (26, 32); Vada V, 20; Grinnes ibid.

2) ipsum oppidum Batavorum, ad quod illa „turris Batavorum" quasi arx sita erat, illo tempore concrematum (Tacit. Hist. V, 19), postea restitutum nomen „Noviomagi" (Neustadt) accepisse probabiliter nuper coniecit Hermannus B. Jahrbb. LXXVII, 1884, p. 90 sq. Itaque illa castra Batavoduri eadem sunt ac postea Noviomagensia.

3) qua de re cf. Bonn. Jahrbb. LXXII p. 56.

4) cf. infra app. I § 1, I.

Digitized by Google

mentum ad legionum stationes certius cognoscendas afferre solent, pleraeque[1]) et tituli militum sepulcrales [nam de ceteris infra dicetur] ad unum omnes Noviomagi reperti.[2]) Inde quae castella stationesve, quibus opus esse videbatur praesidio legionariorum, a legionis partibus maioribus minoribusve occupata sint, demonstrant tegulae plurimae in Hollandia repertae: ad oppidum Utrecht,[3]) ad vicum Rossem,[4]) quo loco castellum Grinnes (Tacit. Hist. V, 20) situm fuisse putat Leemanns; Arenacum-Cleve[5]) etiam post legionem ipsam abductam illo quidem tempore a decimanorum vexillo defendebatur, cum aetate itinerarii Antonini alam haberet. Num aliquando statio legionis etiam Veteribus[6]) fuerit, adhuc in medio relinquendum est; Geldubae[7]) quoque tegulas legionis X numero signatas reperiri potius negem. Praeter haec vero monumenta tituli, qui complures reperti etiam in valle Brohlensi[8]) plane diversam ab illis speciem prae se ferunt, cum omnes aut Jovi optimo maximo et Herculi Saxano aut huic soli sacri sint, nullo modo probare possunt, in hac valle fuisse partem legionis X collocatam, praesertim cum hanc regionem iam ad Germaniam superiorem pertinuisse certissimum sit.[9]) Neque vero id quod copiae

1) sunt n. 60 a, III, 60 b, 60 d, III.

2) n. 44, 46—50 sepulcrales, n. 45 titulus sacer.

3) n. 60 d, I.

4) n. 60 a, II — in Hollandia locis incertis repertae sunt vel exstant in museo Leydensi: n. 60 a, I, V (60 c, I), 60 d, II, IV.

5) n. 60 c, II, 60 d, V, cf. Westd. Zeitschr. I p. 524.

6) nam tegulae n. 60, c. III minime certae sunt et in tegulis legionariis enumerandis, quae in museo Veteribus exstant plane praetermittitur legio X cf. Westd. Zeitschr. I p. 274, certa sola mihi videtur tegula n. 60a IV.

7) n. 60 c, IV certe mutilata est, et potuit alia quoque legio in ea nominari. — Itaque Asbach W. Z. III p. 5 et Aschb. leg. X g. p. 249 qui putant legionem X castra habuisse Veteribus, falsi sunt. De castris, quae fuerunt Noviomagi fusius disputavit Bergk.: Zur Gesch. u. Topogr. p. 173.

8) n. 51—54, n. 59 Antunnaci; [n. 55 prope Pont à Mousson].

9) Quaestionem de utriusque Germaniae finibus nuper confecit Zangemeister Westd. Z. III p. 313—319, 325, quo Bergkii: Zur Gesch. u. Topogr. p. 73 seq. et 127 sententia correcta esse videtur. Terminus erat rivus, qui appellatur Vinxtbach, (pronunciatus Fiensbach ab accolis) inter Antunnacum et Remagen (Bramb. 649, 650) situs; etiam quod limes, qui totam provinciam superiorem amplectebatur, ex ipsa huius rivi regione Rhenum attingens finem cepit, gravissimum est (Cohausen: Der röm. Grenzwall p. 267). Cippus miliarius (Bramb. 1941), qui est a. 797/44, Mogontiaco milia numerans, provinciam superiorem usque ad Stolzenfels pertinuisse demonstrat. Optime convenit quod titulus centurionis leg. XIIII, quae non nisi in superiore provincia tetendit, Boppard

Digitized by Google

exercitus inferioris non solum in superiore provincia, sed etiam in Mosellae valle, quam ad Belgicam pertinere nemo negabit, haud procul Divoduro [Metz], prope oppidum Pont-à-Mousson, monumenta dedicant, est quod nimis miremur aut quo offendamur,[1]) et facillime explicatur nobis deliberantibus, quid acturi hi milites fines suae provinciae transgressi usque ad illas regiones penetraverint. Omnes enim hae, quae memorantur, vexillationes a sua quaeque legione ad lapides ex lapicidinis, quae his vallibus erant optimae, caedendos missae, opere patrato et in honorem dei, qui in lapicidinis quam maxime colebatur, Herculis Saxani, sacello plerumque dedicato ad stativa redibant. At cur praecipue decimani ceteraeque inferioris Germaniae legiones has lapicidinas exercuerunt multo enixius quam exercitus superior?[2]) Quamquam montes rupesque etiam magis in septentriones spectantes lapidibus, qui potuerunt secari, abundabant, tamen nullo alio loco legionarii fluminibus, quae semper commodissimam tantas molis deportandi viam praebent, magis adiuvabantur: inde ab eo ipso loco, quo lapidis caedebantur, usque ad ipsa castra, in quae transferendi erant, fluminibus uti licebat; deinde multo facilius lapides secundo flumine transportabantur in Germaniam inferiorem, quam adverso in superiorem. Denique Romanos eo diligentiae processisse, ut iter quam longissimum, dummodo materiem aedificiis suam cuique maxime idoneam reperirent, non abnuerent, omnia fere nos docent monumenta, quae

---

exstat (Bramb. 717) tegula eiusdem legionis in vico Adenau (B. Jahrbb. LVIII 1876 p. 201. Contra oppidum Remagen iam in provincia inferiore situm fuisse ostendunt tegulae nuper ad lucem prolatae EXGERINF (B. Jahrbb. LXXVII p. 233) = exercitus G. inf.

1) eo minus hoc mirum est, quod per totum primum saeculum utraque Germania nondum propriam provinciae formam habebat, cf. Hirschfeld: Comment. Momms. p. 435 sqq.

2) cf. Freudenb.: Herc. Sax. p. 14 sq.: exercitus Germ. inf. posuit aras n. 56, 57, 58, vexillationes leg. X gem n. 51—54 et n. 59, legionis VI victr. Bramb. 654, 664, leg. XV primig. Bramb. 685, B Jahrbb. L/LI 1870 p. 192; non diiudicandum, utrum legio in superiore tetenderit provincia an in inferiore: leg. XVI Bramb. 657 [verisimile in inf.] XXI Bramb. 656, 675 [verisimile in infer.] XXII Bramb. 671, 672, 673, 674 — classis Germanica exercitus inferioris Bramb. 665. 684 (677) coh. II Asturum ex. inf. Bramb. 666 fortasse 678, coh. II civ. Romanor. Bramb. 676 (cf. IX 2958); sola quae certo ad superiorem exercitum pertinens in his lapicidinis lapides secuit, est coh. I civ. Rom. Bramb. 670 (cf. Bramb. 1431c, 1542c, 1407b$_{1,2}$ dipl. XXVII a. 116 (saltem, si non eadem est atque coh. I civ. Rom. eq. in Germ. inf. VI 3520.

Digitized by Google

saepissime lapidibus longe repetitis erecta sunt;[1]) quae diligentia luculentissime illustratur titulo saepius laudato n. 55, posito a vexillatione, quae Noviomago, ut ad Mussipontem lapides secaret, venerat.[2])

---

§ 3 De bellis, quibus legio $\overline{X}$ gem. interfuit.

Legio, cum post victoriam ad Vetera reportatam, quamquam non certum est, quod statuit Stille,[3]) iam proximo die eam advenisse, Cerialis exercitui sese adiunxisset, reliquis proeliis, quae cum Germanis commissa sunt, interfuit atque primo concursu haud levi damno affecta est, quinque primoribus centurionum et castrorum praefecto occisis.[4]) Sed paulo post foedere cum Batavis icto belloque composito sub Vespasiano et Tito ad Rhenum inferiorem quidquam hostiliter gestum esse ignoramus.[5]) Deinde bellum a Domitiano haud dubie gravius contra Chattos susceptum,[6]) quod ad superiores potissimum legiones pertinebat, num etiam inferiores exciverit, incertum est: haud scio an legionis X geminae vexillatio in eo militaverit. De seditione Antonii Saturnini cf. supra p. 11 sqq. Postea usque ad Domitiani mortem in Germaniis pax atque quies fuisse videtur.[7]) Sed Nerva imperante motus atque discordiae inter Germanorum nationes orta Romanorum quoque arma traxerunt: quamquam iustum proelium inter Romanos et Germanos commissum esse non videtur, tamen legiones Germaniae inferioris sub Vestricio Spurinna legato expeditionem in Bructeros

---

1) cf. Schneider: B. Jahrbb. XXXIII/IV p. 166 sq. et LXXVI p. 27—30.

2) ibidem repertus est titulus a vexillatione legionis XXI Rap. positus B. Jahrbb. IX p. 140, alter vexillationis legionis VIII Augustae: Muratori $12_{,5}$ = $1978_{,8}$ = B. Jahrbb. XVI p. 126 = Freudenb. Herc. Sax. p. 11 n. 26.

3) histor. legg. p. 82.

4) cf. Tacitus Hist. V, 20.

5) Tamen etiam post Batavorum bellum confectum in Germaniis pugnatum esse, docet Cn. Pinarius Clemens leg. Germ. sup. a. 827/74 (dipl. IX, C. J. L. III p. 852) qui ob res bene gestas ornamentis triumphalibus honoratus est (Wilm. 1142), et recte Schiller R. K. I p. 518 adn. 14 partem acclamationum imperatoriarum Titi XIIII—XIX, quarum pleraeque haud dubie ad Britannicas victorias pertinent, ad Germanicas refert.

6) anno 836/83 cf. Asbach: Westd. Zeitschr. III p. 5, Schiller R. K. I p. 527 sq., de legionibus cf. infra app. I, § 2, II.

7) Asbach l. l. p. 11 sq. Schiller R. K. I p. 528.

Digitized by Google

inierunt,[1]) ut regulum quendam expulsum reducerent, et „ipso armorum terrore et auctoritate gentem ferocissimam perdomuerunt“ (Plin. ep. II, 7. 2), quas ob res prospere gestas Spurinna ornamenta triumphalia accepit. —

Porro in bellis Traiani Dacicis, quibus permultae legiones, etiam ex Germaniis accitae intererant, legionem quoque X geminam militasse significare videntur tituli duo tribunorum, qui bello Dacico donis militaribus ab imperatore Traiano se donatos esse praedicant (n. 18 n. 19); quorum alter fuit: praefectus coh. I Raetor.[2]) trib. mil. leg. X g. p. f. praef. alae Dardanorum,[3]) alter: praefectus coh. III Breucor.[4]) trib. mil. leg. X. g. praef. alae I Asturum[5]). Quamquam vero haud ignoro, magno in errore versari eum, qui inde, quod dona pone officiorum militarium complurium postremum commemorantur, contendat sequi, ut homo, de quo agitur, cum hoc ipso officio fungeretur, sibi ea paraverit, [nam saepius certo demonstrari potest, dona militaria non solum, si quae iterum ac saepius donata erant, post omnia officia militaria enumerata cumulari,[6]) quamquam certe omnia in uno eoque postremo officio ne potuerunt quidem accipi, sed etiam, si quae semel tantum donata erant, non post id ipsum officium, quo cum fungeretur, homo honoratus est,[7]) in titulis poni sed post omnia de-

1) cf. Asbach B. Jahrbb. LIX p. 4 sq., et W. Z. III p. 12—14. — Nervam et Traianum ob hanc prosperam expeditionem cognomen Germanici sibi assumpsisse vix credam (Schiller R. K. I p. 547 adn. 4), hoc potius acceperunt ob bellum Suebicum (cf. Plin. paneg. c. 8; et V 7425) ut postea quoque iisdem gentibus Marcomannis Quadisque devictis Marco cognomen Germanici decretum est. — De Vestricio Spurinna cf. Roulez: Mém. ect. XLI p. 32. Peine: de ornament. triumphalib. p. 74.

2) coh. I Raet. erat in Raetia a. 108 (dipl. XXIV) et a. 166 (dipl. LXI) [fortasse antea in Germania superiore].

3) erat in Moesia inferiore a. 99 (dipl. XX) a. 105 (dipl. XXII) a. 134 (dipl. XXXIV) cf. Arch. ep. Mitth. a. Oest. VI p. 39 n. 90.

4) fortasse in Pannonia inferiore; cf. III 731 (X 3847).

5) erat in Moesia inferiore a. 99 (dipl. XX) sub Hadriano demum in Britannia a. 124 (dipl. XXX) a. 146 (dipl. LXXV) saeculo tertio VII 510; 513 = Eph. III p. 132; 537, 538. In Dacia aliquamdiu stetisse videtur, si tegulae ∧|∧ (Arch. ep. Mitth. III p. 116 n. 23) ad eam pertinent [ab ala Asturum, quae saepius in monumentis Dacicis memoratur, fortasse distinguenda est III 1393 anno 200.

6) ut exempla minus dilucida praetermittam adhibendi sunt tituli II 1086, 4461, III 454 = Eph. ep. V 87, Eph. ep. V p. 576 n. 1344; V 930, X 3733.

7) V 7003: Gavius qui fuit a. 818/65 tribunus coh. XII praet. (Tacit. Ann. XV, 50, 60, 71), quia bellum Britannicum a. 43 et sqq. gestum est, necesse

Digitized by Google

mum commemorari], tamen et Besius Betvinianus[1]) et Prifernius Paetus videntur a Traiano donati esse, cum alae alter Dardanorum, alter I Asturum praeesset: utraque enim ala eo ipso tempore certe fuit exercitus Moesiaci,[2]) quem maxime ad bella Dacica adhibitum esse aliunde constat. Praeterea, quominus illos viros in tribunatu legionis X geminae honorem accepisse putemus, impedimur eo, quod si illae arae supra tractatae per annos 104/107 positae sunt, legio X gemina bello Dacico posteriore certe ineunte adhuc in Germania tetendit: itaque censeam titulis n. 18 et n. 19 non demonstrari, legionem X bello Dacico interfuisse.

---

est dona militaria acceperit primipilus legionis VIII. Orelli 749: bello Judaico Vespasiani ex illis, quae in titulo memorantur, legionibus solae V Maced. et XV Apoll. interfuerunt cf. VIII 2786, alia exempla.

1) dona militaria, quamquam inter officia militaria et munera civilia ponenda erant ut mos est, tamen quin ad officium militare referenda sint non dubium: a quadratario primo omissa, postea adiecta esse videntur, id quod litteris versus postremi multo minoribus confirmatur.

2) cf. p. 47, adn. 3 et 5.

Digitized by Google

CAPUT IIII.

De legione $\overline{X}$ gemina in Pannonia.

§ 1 Quando legio in Pannoniam translata sit, et quamdiu ibi tetenderit quaeritur.

I. Antiquissima testimonia, quibus demonstratur, legionem X gem. in Pannonia tetendisse, exhibent Claudius Ptolemaeus, clarissimus ille geographus, „qui scripsit Pio potius quam Marco imperante“[1]) (Mommsen C. J. L. III p. 416) libro II c. 14 § 3 p. 292 (ed. C. Müller) in describenda provincia Pannonia: πόλεις δὲ εἰσὶν ὑπὸ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμὸν Οὐινδόβονα λεγίων ί Γερμανική [Γεμίνη legendum esse vidit iam Pancirolus cf. Boecking ad Not. dign. vol. II 2 p. 728] Καρνοῦς λεγίων ιδ' Γερμανική, Βρεγετίων λεγίων ά βοηθός e. q. s., et index ille

1) cf. Erhard: Regesta historiae Guestphal. p. 42 sqq. Certo vero hoc demonstrari non potest eo, quod libri Ptolemaei III 10, 5 legionem I Italicam, quam omnia alia testimonia monumentaque collocant Novis, (itiner. Anton. p. 220, 4, not. dign. or. 40, 30, 32, C. J. L. III 750, 756, 6125, Eph. IV 133) faciunt tendentem Durostori(-Silistria) Moesiae inferioris, ubi iam sub Pio leg. XI Claudiam fuisse ex titulo Arch. ep. Mitth. VI p. 3 n. 1 elucet (cf. itin. Ant. p. 223, not. dign. or. 40, 33—35), ita ut sub Pio legionem I It. castra Durostorensia cum Novensibus legionis XI Cl. mutasse complures viri docti censuerint et Ptolemaeus res, quae ante hanc mutationem fuerant, descripisse videatur. Neque vero ex titulo Eph. IV p. 525 apparet legionem XI umquam Novis castra habuisse, neque Ptolemaeus erroris arguendus est, sed librarii neglegentiae convincuntur, cum luce clarius sit, „λεγ. πρώτη Ἰταλική“ in margine scriptum alieno loco, Durostori pro Novis, insertum esse; praesertim cum post „Δουρόστορον“ praeterea „λεγίων“ in libris exstet, quod nihil aliud nisi XI Claudiam significare potest. Rectissime de re iudicat C. Müllerus ad l.; neque ultra haec corruptela viros doctos, ut falsissima contendant, adducere debet. Similis confusio correcta est a Bergkio Zur Gesch. u. Topogr. d. Rheinl. p. 76 adn. 1.

Digitized by Google

notissimus (VI 3492) exaratus inter a. 888/135 et 922/169 [1]), qui cum legiones omnes secundum provinciarum, in qua quaeque tendebat, ordinem enumeret, in Pannonia nominat: LEG I ADIVT LEG X GEM LEG XIIII GEM. Quo igitur tempore legio X e Germania in Pannoniam translata sit, quaeritur. Quamquam enim Ptolemaeus rerum, quae erant aetate Traiani potius, quam quae erant sub Antoninis, testis habendus est, quippe qui in opere suo Marinum Tyrium, aequalem fere Taciti, modo retractarit (cf. Müllenhoff: Monatsber. der berl. Akad. 1866 p. 1) neque memoret ullam rem aut ad regionum locorumque descriptionem aut ad res gestas pertinentem, quae Traiani temporibus posterior sit, [exceptis solis Hierosolymis ἡ νῦν καλουμένη Αἰλία Καπιτωλίνη V 16 cf. Erhard Regesta hist. Guestph. p. 44], tamen, quia haec quaestio nondum ad finem perducta esse videtur, neque Müllenhoffii sententia omnibus viris doctis probata est, alio modo investigandum, quo tempore et quam ob causam legio translata sit. Quominus autem cogitemus de bello Marcomannico Marci, inde ab a. 919/166 gesto, quo, cum provinciis Danuuianis gravissima pericula instarent, imperator, ut exercitus Pannonicos augeret, haud dubie adduci potuit, impedimur Ptolemaei, qui sub Pio scripsit, testimonio; et indicem illum legionum, qui certe eo consilio exaratus est, ut statum duraturum atque fixum depingeret, inter a. 919/166 et a. 922/169, quo tempore omnes Romanorum vires attentae, omnes fere exercitus bello Parthico vixdum confecto Germanico gravissimo nuper exorto moti atque

1) Legiones II et III Italicas, quae in titulo extra ordinem postea additae sunt, a. 923/170 iam fuisse probat titulus III 1980; et, si quid video, cognomen legionis III „Concordia", alludere videtur ad concordiam divorum fratrum, quorum Lucius a. 922/169 mortuus est. Annus 888/135 eo efficitur, quod leg. VI ferrata iam in Judaea memoratur, quam in provinciam translata est bello Hadriani Judaico. Nam, cum Judaea a legione X fretensi, quae a Vespasiano ibi collocata erat (Joseph. b. J. VII, 1, § 3), etiam sub Traiano sola defenderetur (X 6321) itaque a legatis praetoriis regeretur [cf. Marquardt I² p. 420 adn. 4] inde ab Hadriano legati erant consulares, cum praetorius duabus legionibus praeesse non posset (Lusius Quietus cos. a. 115 non erat legatus Judaeae a. 116, sed Judaeos in tota oriente rebellantes subegit cf. Momms. R. G. V p. 544), ut Sex. Vinicius Faustinus a. 132—135 (III 2830), qui antea Britanniam prov. consularem rexerat; Ti. Julius Severus cos. a. 155 (C. J. Gr. 4029), Flavius Boethus a. 167 (apud Galen. XIX p. 16), C. Erucius Clarus cos a. 170 (Waddington 1842 a), Ulpius Arabianus C. J. Gr. 4151 cf. C. J. L. VIII 1640 = Eph. V n. 609, saeculi secundi. Itaque titulus IX 5362, qui legionem VI ferrat. „in Syria Palaestina" memorat, est posterior, titulus Arch. ep. Mitth. VIII p. 81 n. 1, qui „in Syria", anterior Hadriano.

Digitized by Google

turbati erant, compositum esse quis est qui credat? Quid vero sub Pio, omnium principum amantissimo pacis, quid sub Hadriano, auctoritate tantum nominis sui hostes deterrente, ad Danuuium hostiliter gestum est? nisi forte illam expeditionem contra Roxolanos post ipsam Traiani mortem susceptam exprobrare nobis vis, quae non tam armis et bello quam foedere et pace finita esse videtur, regulo illius gentis Romana civitate donato (C. J. L. V n. 32). Sed id quod per se summa probabilitate commendatur, legionem X gem. castra mutavisse sub Traiano, qui cum et novam provinciam quam acquisiverat Daciam et veteres provincias ad Danuuium sitas summa virtute atque industria colonis undique excitis et exercitibus maximis muniret, omnes legiones, quae antea alibi positae secundo saeculo ad Danuuium castra habuerunt, ex altera in alteram provinciam transtulit: id etiam confirmatur deliberantibus nobis, legionem XIII geminam, in cuius stativa, nempe Vindobonensia, legio X successit, iam post ipsa bella Dacica a. 860/107 Pannonia excessisse in Daciamque transmigrasse.[1]) Quare quamquam non plane efficitur, ut legio X, quae a. 858/105 etiam in Germania morata esse videtur (cf. p. 42), iam a. 860/107 in Pannoniam translata sit [legio enim num ipsam XIII exceperit, dubium], tamen castra Vindobonensia, cum legio XXX, si quidem revera illo puncto temporis ibi tendebat,[2]) ad bellum Parthicum profecta esset[3]), inde ab a. 867/114 ab alia legione occupata non sunt: itaque quamquam nobis in medio relinquendum est, utrum legio X gemina a. 860/107 e Germania abducta an a. 867/114 in Pannoniam

---

